

An embossed crest or logo on the right cover, featuring a crown above a shield with a cross and other heraldic symbols.

Ball.  
403





Ball 403

4532



1976

1994




1999-08-05

0010007740083



Ball 403





OMNIS  
MUTATIO

TAM  
REGNANTI,  
QUAM  
POPULO PERICULOSA,

præcipue  
quæ fit sine Sapientia, et ex pura Interf-  
fentia.

---

In corruptissima hac, moribus, ignavia, vi,  
emolumento, vacuis honoribus ætate, ne-  
mo est, qui Justitiam, Rempublicam def-  
tendat, quamvis his unice duobus, omnis  
hominum salvus sit, et valeat —

Non nobis solum nati sumus. Ortus partem  
parentes; partem amici, maximam vero  
Respublica sibi vindicat. *Plat.*

---

*Cum Privilegio Sacro-Sanctæ Justitiæ, et immacula-  
tæ veritatis.*

---

1789.

Vel provocabit Saniora; vel serviet ad Histo-  
riam posterorum. —

1890

MEMORANDUM

RECORD

FOR THE RECORD

...



...

---

## SCUTUM OPERIS.

---

**N**on possum amplius indignationem nudo sensu tenere; dolorem premere, quem graviorem illud maxime facit: quod hac plurimum ætate, libere queri non liceat Humanitati, et Justitiæ; quamvis has ad speciem, constitui, indigari, mentiatur omnis actio ævi moderni. Veritatem igitur jam exilio pene damnatam, a servitute vindicare propofui, ut hanc dicendo, proficius sim ipsis, qui hanc propulsando, securiorem sibi sortem, et vitam statuunt, miserabiliter decepti.

Gens omnis, a Majorum suorum recedens In-  
stitutis; aut gravem mutationem omnium, ut sub-  
eat; aut prorsus funeste pereat, oportet!

Tu Hungare! primum, et maximum animo  
evulxisti — quam nempe Patres tui semper colue-  
runt. Veræ Christianitatis *Religionem*. Scientes;  
tria principaliter menti figenda esse: *Deum, Patriam,*  
*Leges*. Cum pietate adversus hæc sublata. Nec  
fides; neque societas, generis humani, sed neque Ex-  
cellentissima virtus, Justitia, stare queat. Verum!  
non colitur Deus opimis Holocaustis; auro, argen-  
toque suspenso; nec in Thesauros stipe infusa; ne-  
que hac; vel illa Dogmatis nomenclatura, et nudæ

Religionis orali professione, sed pura, rectaque voluntate. Omni actione humana, testato erga proximum, et æqualem tibi hominem; vero, nihilque reciprocum exigente amore. Ista definiunt Originalem Christianum, et quod plurimum requiritur! **Hominem** —

Justitiam colis, duntaxat; ut videaris Justus; non sis! Hanc mercenariam, venalem introduxisti in terram tuam, antea puro encomio, velut maximo virtutis præmio contentam. Nunc præterea pronior est, erga necessitudine quadam, seu amicitiae; seu concivilitatis junctum. Vel si cieant hanc, accepta jam; aut sperata beneficia. Friget, tarda est; vel prorsus iniqua, erga nullo tibi vinculo generationis nexum; alienigenam; pauperem; aut in te antea haud beneficium; neque virtutem, fordida mercede præmiare volentem. Uteris Justitia, non ut alteri hac egenti servias, sed tua pure sequatur utilitas. Te justum esse gratis oportet, ac nullum justæ rei præmium majus est: quam justum esse! quid enim turpius est, quam aliquem vinciri debere, ut vir bonus sit, et pœnitere, gratis esse probum — Hungaria a temporibus Ferdinandi primi, et Joannis Zápolya æmuli hujus, debitam non coluisse Justitiam deprehenditur, qui Censu; viribus; clientela; cognatione valebat, illius Ancilla fuit Dea Nemensis. Ideo labebatur quoque sensim, Regni hujus prosperitas, juxta illud: *propter Injustitias transferam Regna, de Gente in Gentem* —

Mores Gentilitii, Indoles nativa, domestica æqualitas tibi non placebant. Exteræ Provinciæ invisebantur, excolebantur, Hungariæ præcipue generositati, fortitudini, abundantiae semper inimicæ. Ibi consumebantur vires Naturæ, opum — Revecta sunt

5

sunt a potiori: principia: Genti; Juri Patrio; interno statui pernicioſa. Peregrinationisque fructus fuerant: Debita; Morbus Gallicus; Nausea; odium erga Patriam; Contemptus ſuorum Regnicolarum, mutua, ſuperbaque æmulatio. Inde diſcordiæ, vindictarum ardor, privatumque partium Studium cum excidio Reipublicæ — Ut præſtitiffet magis: Geographicam aliarum Gentium notionem haurire ex Librorum lectione; quam Terræ alienæ recognitione.

Antenatorum Conſuetudo erat: peregrinos in ſua potius Terra, juxta Conſilia S. Stephani Regis hoſpicio; benevolentia excipere; ab illis, ſi quid ad perfectionem, et ſalutem Provinciæ ſuæ, congruum fuiſſet, obſervare. Semper namque utiliſ, certius, et facilius in proſectum Gentis, diſcendarum ab Exteris Hoſpitibus rerum, principium eſt hoc; quam dubiæ, multisque periculis expoſitæ ſemet committere peregrinationi. Reſiſtebant illi ſpecialiter: nequis Regnicolarum, Viennenses Lares colat, quin potius Rex Auſtriacus Hungariam pro Sede habeat, omnibus fere declamabant Comitiis. Tu autem Hungare, nec Patriæ negotio; nec muneris obligatione, expoſcentibus, Viennam pro Solo tuo quaſi Natalium habes. Ibi contrahis mollitiem; ſervitutis conſuetudinem, ſtolidam ambitionem, vilipendium gentis tuæ, quaſi ſupra hanc ſaperes. Hæc emis mala, gravium proventuum terræ propriæ Conſumptione, ac ut Juventus ad iſta jam a teneris inſtituatur, incauto Conſilio adhuc notabilem Ao. 1742. reſolviffi Cenſum, pro adſcitiſ Turma Prætoriana, Viennæ deſingenda. Quales roſas inde tuleris. Triffis experientia, ſervit ad intellectum, præter multos alios, in *Iſdenczio*, antea *Turmiffa*.

Hinc secuta Conjugia Hungarorum, cum scilicet natione junctorum; imo universim fere, jam ad ruralem; jam ad domesticam functionem, exteriorum introductio; ubi alias Majores tui, per Articulus 5. 25. Alberti Regis. Strictissime vetuerunt: *homines extraneos cujuscunque Nationis, et Lingvæ, vel pro Servitiis adhibere.* Alebas ad Latus duos inimicos domesticos. Uxorem; Servum; Extraneos. Prima raro fida fuit ex imparitate Nationis; morum. Secundus, nunquam ingenue affectus ex disparitate Indolis. Secreta tua; mores; statum internum, plene rescendo, redivit in Regionem suam, adversus te scribebat, projecta dabat; qualiter Libertas, Vires; Hungariæ rerum abundantia compescantur, omnibus fervilibus populis Livorem ingerentia. Et si Artis Bonæ in ruinam tui propofuit specimina, etiam Status Ministerii accepit honores. Prout quidam Hartl, apud Comitum. *Trauczen* antea in Hungaria Stabuli Magistrum, subinde Bonorum Directorem agens. Contemnebas, horrebas, pauperum Nobilium Regni proprii, ad munia tua applicationem. Quod uti nequeas velut Mancipiis; ex personali prærogativa. Damnando illud in his, quo ipse gaudere, inter raras ponis felicitates. Et potes ne nunc, quamvis extraneum; illum Ignobilem; illa sorte tractare? qua tibi placuisset, et proponebas! Nonne acerbus est, si offendendo Sanctiones modernas Patentium de servis, majores, et indignas tua persona; Liberti conditione, experiaris incommoditates —

Nunquam neglecta prius, Conventus Regnicolaris occasione, agebatur ad Militis Austriaci e Regno educationem. Tu talem non solum tacito Consensu ambivisti; verum etiam Domestica familiaritate, affinitatibus tibi junxisti, Viperam ad finem

recipiendo. Hic omnia penetralia tua, extacita muneris incumbentia, odio in pectore latente, perscrutando. Secreta p̄ndebat in Locis, quæ idem præcipiebant; tibi infidiabantur. Mollitiem, damnata Religionis Principia; obscænorum Librorum lecturam. Mentitæ fidei Conjugia. Pessimam Sobolum educationem invexit, quæ mala invalere magis, tua indulgentia.

Infecta multa Religiosorum; Monachorum ad Regnum tuum admifisti, bona quidem intentione, sed non perspicaci Consilio — Crede mihi, si Lynceis oculis rem penetrare velis, facta, exempla, Doctrina horum. Puram, simplicemque Religionem obscurabant. Inter Rusticum, et Dominum, imo parem sibi statum, odii, diffidentia ferebant germina. Ingestis superstitionibus in altum producta — Inde secuta, grandia Religionum Christianarum, quoad formas externas dissidia, feralis vindictæ odia. Nihil sinceri relictum. Privativæ duntaxat agebantur Domi, in Regni Comitibus Causæ, nociva Comuni Statui æmulatione, neglecta vero fuit Salus Reipublicæ Hungaricæ, cum victoria inimicorum utriusque, hoc recte inter divisos animos sollicitate quærentium. Quod porro maximum est: Institutionibus suis, vivendi norma, despotismum jam teneræ juventuti inspirarunt. Pro his omnibus, auxisti tales adhuc vana, expressaque sæpe pietate, cum exhaustionem tuæ posteritatis, latifundiis Bonorum; Suppellectilium pretiosissimarum; grandis Æris pecuniarii. Nunc quid tibi, per abolitionem horum, etiam contra factum, Leges tuas, secutam! redditum? præter amaram memoriam, ac pœnitentiam —

Tria hæc: *Mala educatio prolium. Morum a Gentibus, Sclavitati asævetis, Exterorumque Sortis similis investio ad Regnum; Ingens Religiosorum multitudo recepta. Proximam exilio tuo pararunt rationem, præcipitarunt vero efficacissime; Alienigenarum admunia, honores Ecclesiasticos, juxta et Seculares admissio. Quod autem perniciosissimum est! a Legibus provincialibus, pedetentim factus, incaute recessus.*

Nihil firmiter tenet Jura domestica, quam patrii Status *Scientia! hujus manutentio! pecunia retenta, et arma! Primum neglexisti. Per improficuas peregrinationes. Librorum Comitorum; Romancz, aliorumque stolidæ levitatis politiam tradentium, ad austerum Musarum secretum receptiones. Articuli 3. 4 1687. 2. 3. 1723. Constitutionem. Tu diffidentiam erga te serio eradicasti quidem; sed reciproce, tuam fiduciam, securitatem perennem, in nullo fundasti. Secundum. Per Luxum, mollitiem, ac resolutam Articuli 8. 1715. stabilem contributionem. Tertium. Per abolita eodem tempore Banderiorum Arma domestica, Citra defixam, pro Æterno. Tamen tui præsidio, seu Vicinarum Liberrarum Regionum cautionem; seu internarum Virium munimentum. Ut hæc exprimantur a te. Sufficit tibi objecta diffidentia; barditas, turbulentus animus, nuda feliciorum promissio, quæ facile in pectus tuum recepit, cæpta jam tunc mollities. Quæsitum ignavum otium. Ut loco Palladis utriusque, Crassam Minervam; Calliopen cum Nymphis in societatem admittere; Loco Armorum luxuriosa peristromata ædibus tuis appendere valcas. Nunc eadem, et tua propria peris ratione. Namque tibi pro vitio, imbecillitate exponitur: quod a Marte desveveris, vigorem animi pristinum, habes*

beas mollitie extinctum, ad modernam bellandi Ar-  
tem admitti nequeas, consequenter personalem In-  
surrectionem, quam quidem spondidisti præter tri-  
butum, parato redimas —

Vides! quos anques in perniciem tuam, enu-  
triverint malæ herbæ, crescere admiffæ. Pauper  
jam es, et imbellis effectus, nihil fere retinuiti;  
præter gloriam majorum tuorum; quam etiam ambi-  
tione vana ob fulcas, te ipsum cum aliis Patriæ  
Civibus perimendo. Vilipendis Nobilem, si Ma-  
gnas voceris. Superare vis etiam pares tibi Ma-  
gnates. Jam Clavis Camerariatus. Jam Excellen-  
tiæ; Celsitudinis, vacuis honoribus. Non perpen-  
dens ista esse pure, alimentum infelicis superbæ.  
Nectare illitum constituere toxicum, quo casum ci-  
tius accipiat validum si quid habes adhuc, ab in-  
valido. Pestem hanc atraxit Status quoque Eque-  
stris Regni Nobilium, per Magnificentæ, Dapifera-  
tus miserabilem Characterem, Titularis Consiliaria-  
tus honorem. Qui apud me idem facit, sine Con-  
ferentia, quod Philosophus sine Scientia, Theolo-  
gus sine Conscientia. Nullus jam pene vult esse  
*Nobilis, ac Generosus*. Qui summus Character est!  
Gentem, Jura, vires Patrias unice servabat! Nul-  
lus concordiam quærit, qua parvæ quoque res in  
altum crevere —

Infelici Sydere producta hæc Lolia, jecerunt  
semen, ad alendum vel fastum ulterius; privatae  
necessitatis, utilitatisque sordidæ captanda emolu-  
menta, vel in excidium Patriæ, multorum culpæ  
latæ, conniventæ; vel quod maximum parat exi-  
tum! Infaufti, summiq; humana infocietate; Sta-  
tu Naturali, *Criminis parii* reatus. Quo peccatur in  
Patriam Matrem, propriam personam, et conscien-  
tiam

tiam; Amicos; Concives, Parentes; Proles ipsissimas! plurimos nunc intueri, novisse fas est. Qui ferali ictu, verborum; scriptorum, propriam petunt sortem; Patriam! Horreres ad illa, si legeres, audires projecta, quæ ipsi Patriæ Filii, a Ferdinadi 3. Regimine, suppeditarunt, contra Terram, viscera propria! Qui aliis parando funus, ipsi jacent — Neque reflexerunt ad id: *Quidquid pecamus Mortales, aptissimas Dii inveniunt penas. Nec ingeniosiores nos ad pecandum; quam illi ad vindictam* —

Si qua in re vos offendi; veritatem explendo, en Humi Stratus, percussorem expecto.  
*Marcus Aurelius.*





## P A R S I<sup>ma</sup>

**M**otivum, omnium Hungariæ malorum, quæ ab Anno 1780. fert, subitarumque mutationum, formæ Regiminis proximum est: Opus sub titulo: *Juris publici Hungariæ*, ac nomine *Francisci Grosfinger* expositum.

Prima hujus rudimenta jecit *Adamus, Franciscus Kolar*, Oriundus Neofolio, subinde Viennensis Bibliothecarius. Qui in compluribus factis, et scriptis, *Crimen Parium* comittens, ex jurato in Patriam suam, vindictæ Ardore, propter toleratam Gravem, sub Anni 1764. in sum Diata Hungariæ, Ignominiam; persecutionemque ratione editi operis sui, *De originibus, et usu perpetuo potestatis Legislatoriæ circa Sacra, Regum Apostolicorum Hungariæ*. Sed ad perfectionem plenam deducere negotium non admisit Mors superveniens.

Scriba hujus existens *Franciscus Grosfinger* Patre Ignobili, Lanioneque Comaromiensi ortus; abolitæ Societatis Lojolistarum antea Comembrum, Lacinias Cusi Operis Kolariani, post fata ejus subducit, confaturus Librum ex his, cum duobus Hungaris, honores nimium prestantibus, ac eotum Viennæ residentibus a) rem confert, qui una in maximo se-

cre-

---

a) Fenestra pro neminibus ipsorum sponte relicta.

creto compilant pessimæ fidei, sub nomine tamen pure antelati Grosinger (ne complices semet prodant coram Regno) lucem aspiciens. Librum hunc Latinum successive tertius, a que Viennæ inpræsens residens Hungarus *Sárosiensis Izdenczy*, b) Idiome Germanico prodit, ut taliter magis rempublicam faciat per plures alias quoque Provincias, falsa, malaque principia Exteris ingerat, contra *Jura, Statum, formam Regiminis Hungariæ*.

Quantum fidei, realis fundamenti, opus hoc possideat? tantam hæresim politicam invehens, non solum in Animos Exterorum; verum etiam Intra-neorum Regni Hungariæ Civium. Num vel dignum sit quæpiam defigere principia contra Gentem Hungaram ex Fabrica talium Authorum, specialiter Francisci Grosinger, per publicas Ephemerides recenter a multifariis Criminibus notati, propter gravissimas Imposituras in publicum commissas; Falsarum Schædarum Bancalium ad multa millia confusionem, captivi effecti, ad pœnam criminalem tracti? pura veritate, æquo Judicio discutienda venit primum, et ante omnia traditio, Grosingeriano Nomine insignita —

Duos angulares Lapides opus hoc defigit, pro tota ædificii sui structura, et omnium præmeditarum consequentiarum progressu. Primum: quo constituit, *Regnum Hungariæ a primo suo ortu esse Monarchicum*. Secundum: quo utitur evincere: *Idem Regnum, a suis initiis etiam, semper fuisse Hereditarium*. Perhibendo: Hunnos e Scythia egressos, ac in Pannoniam advenientes Unius quidem omnes fuisse Conditionis; Non illos, ex una eademque stirpe descendentes, Nobilitatem aut servitutem di-

---

b) Ex quo compilavit subinde aliud, sed ineptissimum, sub titulo; *Ignoti nulla cupido, neque metus*.

distinxisse; Omnes Liberos fuisse, sed Libertate hac eousque solum usos, donec Almo Duci illimitatum detulissent Imperium. Quod ex Anonymo scriptore *Bele Regis Notario* sequentibus deducit *Shis*. Tum pari voluntate Almo Duci sic dixerunt: *Ex hodierna die, Te Nobis Ducem, ac Præceptorem eligimus, et quo fortuna Tua Te duxerit, illuc Te sequemur. Tum supradicti Viri pro Almo Duce more Paganismo fufis propriis sanguinibus in unum vas, ratum fecerunt juramentum.*

Ex quo infert plenam, ac illimitatam potestatem per Hunnos in Unum Almum Ducem, ac Successores ipsius translata fuisse; Adeoque *absolutum Reges Hungariæ* inde ab Origine exercuisse *Imperium Monarchicum* nempe, nec ullo Procerum; aut Populi Concurfu, et Consensu Limitatum, donec sensim invalescente populi licentia, Legum etiam ferendarum potestatem, incuria, et ignavia nonnullorum Regum sibi arrogasset. Nullum quippe in ipso etiam Codice Patrio inde a S. Stephano usque Carolum I. adeoque Annis 342. aut Vestigium residentis penes *Nobilitatem Legislativæ potestatis*, reperiri. Quin imo Ipsum Proto-Regem Nostrum in præfatione Libri 2di, ubi dicit: *Dei nutu Nosram Gubernando Monarchiam, statuimus Genti Nostræ.* Manifeste innuere: Regnum suum esse Monarchiam, nihilque Populum in ferendis Legibus commune cum Regibus habere. Quod ipsum Verböczium quoque (quem alias jam damnat, jam provocat in auxilium) testari asserit Par. 2. Tit. 3. Ubi sic habet: *Quamvis olim Populus Iste Hungariæ, dum adhuc ritu viveret Gentilium, et non Regem, sed Duces ac Capitaneos haberet Directores, omnis Potestas condendæ Legis, et Constitutionis, apud eos fuerit, verum postquam ad fidem Catholicam sunt conversi, et Regem sibi sponte elegerunt, tam condendæ*

*de Legis, quam etiam cujuslibet possessionariæ collationis, atque omnis Juridiciariæ potestatis facultas in Jurisdictionem S. Regis Coronæ, qua cuncti Hungariæ Reges coronari solent, et subsequenter Principem ac Regem Nostrium Legitime coronatum simul cum Imperio, et Regimine translata est. Si itaque omnis condendæ Legis, et Judiciariæ potestatis facultas in Regem translata est, quæ inquit, facultatis hujus Pars apud Populum remanere potuit?*

Abusum hunc usurpatæ per Regnum Potestates Legislativæ primo sub Carolo I. adeoque recentioribus irrepsisse temporibus, partim Regum ignavia, partim vero seditiosorum temporum injuria, in præjudicium, ac derogamen Monarchicæ Regum potestatis; quam:

Sub Almo jam primo Duce Hæreditariam quoque effectam fuisse, adeoque Regnum hoc ab Origine etiam hæreditarium esse asserit. Quod sequenti e præcitato Anonymo Belæ Regis Notario, desumpto probare contendit §. *Primus Status Juramenti, quod videlicet Almo Duci Hunni præstiterunt sic fuit: Ut quam diu Vita duraret tam ipsis, quam posteris suis, semper haberent Ducem de progenie Almi Ducis.*

Confirmari hoc continuo, ut ait, descendendum e Regia Profapia Regimine, ac ipsis Regum Diplomatum, in quibus se Jure hæreditario Regium adiisse Solium exponunt; Signanter S. Stephani L. 2. Cap. 1. Ubi de Statu Ecclesiastico differit: *Iaque sub defensione Regis sit, et sicut proprie sic attendat Hæreditati.* Quæ autem est Regis (inquit) hæreditas, nisi Regnum? Item Decr. Mariæ ad Annum 1384. *Nobis Ordine Genituræ solium, et Coronam adeptis.* Non itaque Populi electione, sed ex hæreditaria successione Ordine Genituræ. Decretum item Ladislai Posthumi de Anno 1454. *Cum Nobis Prælati, Barones, Magnates, et Nobis-*

biles *Regni nostri Generali Regni Conventione*, relic-  
tis omnibus defensionibus. Nos verum et Naturalem eo-  
rum Regem devota fidelitatis oblatione, concordi Ani-  
mo honorassent. Igitur verum et Naturalem conse-  
quenter hæreditarium, non electum. Mathiæ Cor-  
vini. *Ex vetusta Majorum Ordinatione Sancitum, ac  
Constitutum est: Quod si quando Regium Semên de-  
ficere contingeret, et de Electione Novi Regis tracta-  
retur, Palatinus in ipsa Electione ex Officii dignitate  
primam vocem habeat. Donec ergo Semen Regium  
existit, eidem Regnum esse debere hæreditarium.  
Præterea Bulla Sylvestri 2di quam Chartutius in  
Vita S. Stephani citat: Prudentiæ Tuæ, heredibus  
inquit, et successoribus habendum, tenendum, possiden-  
dum reddimus, et concedimus. Ac aliis his similibus,  
quibus ab Origine hæreditariam in Regno Hunga-  
riæ Regum successionem, excluso Liberæ Electio-  
nis Jure, evincere conatur. Unde duplicem*

1) Infert conclusionem, et quidem: *Corona-  
tionem in Hungaria nihil ad Regiam dignitatem con-  
ferre, nisi quod leve aliquod, ut pote extrinsecum, sa-  
cro alioquin vertici Regis Ornamentum, idque in Ocu-  
lis Vulgi adjiciat. Male a Regibus in Aditu Regi-  
minis Juramentum exigere, quo alioquin non obstringun-  
tur. Illud hæreditatem, istud autem Monarchiam evin-  
cere.*

2) Privilegia pro Arbitrio revocari, Leges  
mutari, quia imo etiam abrogari; et universas præ-  
terea Nobilium Libertates ac Prærogativas, quas  
per totum Opusculum suum sarcastice convellit, tol-  
li posse inducit, aliunde (ut ait) Nulli innixas fun-  
damento, quia partim ex Arbitrio Verböczy, cu-  
jus Tripartitum Opus nunquam in Legem publicam  
abiisse innuit, proculæ forent, partim vero in di-  
plomate Andreæ 2di Regis fundarentur, quod et  
sublestæ fidei, et vi ab eodem per Regnicolas extor-

tum

tum fuisse asserit. Nullas enim sub primævis Regibus Prærogativas Nobilitatem habuisse, cum et contributioni Ut pote: *Lucro Camere, aliisque Datis ac oneribus, quorum integram Tabellam in Libro suo exponit*, Obnoxii fuerint Nobiles. Quod ex ipsis Patriæ Legibus, in eadem Tabella citatis remonstrare contendit, Et ideo:

3) Ultro quoque eos Contributioni obnoxios esse debere.

4) Regem omnium Terrarum et Bonorum, quæ a Nobilibus possidentur, proprietarium esse Dominum, ejusque stare in Arbitrio ac Potestate, ut Bona Nobilium qualiumcunque ab iisdem pro suo Lubitu auferre, et suis applicare usibus possit, sive ea æquivalenti quopiam recompenset, sive Non! Quod per non nullos Reges etiam factum fuisse asserit, signanter autem per Regem *Andream*, qui referente Anonymo a Posteris *Rétel* accepisset Bonum illorum, propterea, quod ipsi commodum erat pro Venatione, et placuisset Uxori suæ. Item per *Carolus 1.* Possessiones *Semphy* et *Olm* a Comite *Abraam Ruso* fuisse ablatas. Quod ex Diplomate illius, hodie in Archivo Civitatis Posoniensis asservato, clare eveniret. Villam præterea *Daman* Comiti *Polán* collatam, cum Castro Regio *Scepus* ratione vicinitatis commodo, ab eodem Comite *Polán* revocatam, et Castro eidem *Scepus* applicatam.

Ut itaque rectum de iis, quæ *Grossingerius* scribit, ferri possit Judicium, rite expendendus est.

1) Status ille primævus, et pacta, quibus Hunni Almo Duci, quem sibi sponte elegerant, supremam detulerunt potestatem. Dein subsequa 2) sub Regibus forma Regiminis. Ipsaque 3) Decreta ac Diplomata Regum, Legesque Patriæ et Antiquæ approbatæ Consuetudines. 4) Fidedignorum Scriptorum Testimonia, e quibus tota elucescit veritas.

Et pacta quidem illa clare exponit Idem Anonymus Belæ Regis Notarius Scriptor inter Hungaros vetustissimus, ex quo ipse suas deducit probas Grossingerius, verum pessima fide detruncatas. Ita enim semet habet scriptoris deductio: *Tum supra dicti Viri, pro Almo Duce more-Paganismo fufis propriis Sanguinibus in Unum Vas ratum fecerunt juramentum. Ultro continuans: Primus Status Juramenti sic fuit: Ut quam diu duraret vita tam ipsis, quam etiam posteris, semper Ducem haberent de Progenie Almi: Secundus Status Juramenti sic fuit: Ut quidquid Boni per Labores eorum acquirere possent, Nemo eorum expers fieret. Tertius Status Juramenti: Ut ipsi Principales Personæ, qui sua Libera voluntate Almum sibi Dominum elegerant, quod ipsi, et filii eorum nunquam a Consilio Ducis, et Honore Regni omnino privarentur. Quartus Status Juramenti: Ut si quis de posteris eorum infidelis fieret contra Personam Ducalem, et discordiam faceret inter Ducem, et Cognatos suos, sanguis nocentis funderetur, sicut sanguis eorum fuit fufus in Juramento, quod fecerunt Almo Duci. Quintus Status Juramenti: Ut si quis de Posteris Almi Ducis et aliarum Personarum Principalium juramentum, statuta ipsorum infringere, voluerit, anathemati subjaceat in perpetuum. Hæc omnia in suo Libro exponere debuisset Grossingerius, ut plenam Lectoribus proponat veritatem.*

Ex quibus evidenter patet: Hunnos, et Dominum rerum Bello ac Armis aquisitarum, in 2do Conditionum puncto: *Ut quidquid boni per Labores ipsorum acquirerent, Nemo eorum expers fieret, et potestatem Legislativam, seu influxum ad Ordinationem Negotiorum publicorum in 3. puncto: Ut ipsi, et filii eorum nunquam a Consilio Ducis, et honore Regni privarentur. Vi pactorum horum sibi reservasse, prepetuamque constitutionibus suis sanxisse stabilitatem,*



tem, ita quidem: Ut qui statuta ipsorum infringere voluerit, *Anathemati* subjiendum ordinaverint; *Puncto 5to Conditionum.* *Anathema* porro Græcum vocabulum, denotat: *solemnem privationem omni honore, potestate, Jure, ac rebus universis* → Adeoque eam, mutata priori, induxisse formam Regiminis, in qua Nobiles ipsi cum constituto Duce suo in administrandis, ordinandisque negotiis publicis Unum Corpus politicum Regiminis effecerunt. *Suprema solum* Almo Duci delata potestate; non autem pro- ut Grossingerius asserit, *illimitata.* Cum et ipsi semper in Ordinationem Negotiorum publicorum influxerint; Quod ipsum etiam patet ex eodem Anonymo Belæ Regis Notario, qui ita ultro suam prosequitur Historiam. *Dux Kieu, et alii Duces Ruthenorum nec non Cumanorum rogaverunt Almu Duce, et Principes suos, ut pacem facerent cum eis; Tum Dux Almus inito Consilio cum suis, pacem firmissimam cum eis fecerunt.* Non itaque Ipse Dux Almus *absoluta auctoritate sua, verum inito Consilio cum suis pacem fecerunt, Omnes.* Item ultra: *Dux vero Arpad, et sui Milites, adepta Victoria, venerunt usque ad Stagnum Curtuelton, et in illo Loco Dux, et sui Nobiles ordinaverunt omnes consuetudinarias Leges Regni, et omnia Jura, qualiter servirent Duci, et Primatibus suis, et qualiter Judicium facerent pro quolibet Crimine commisso.* Non igitur Leges Una ac propria Ducis potestate, verum communi, et unanimi omnium fiebant voluntate. Denique ultra: *Dux Arpad sui que Nobiles intrantes Insulam (in Danubio Sepel dictam) visa fertilitate, et ubertate illius, constituerunt, ut Ducalis esset Insula, et Unusquisque Nobilium Personarum, suam ibi haberet Curiam, et Villam.* Hinc clarum, et evidens est: non ipsum Ducem absoluta, ac illimitata sua constituisse potestate, sed constituisse cum Nobilibus: quorum influxus Vipactorum primavorum ad

hoc erat necessarius. Unaque divisisse Insulam ad quam ex 2do Statu Juramenti. *Ut quidquid boni per Labores eorum acquirere possent, Nemo eorum ex-pers fieret.* Ipsi quoque Nobiles Jus habebant. Item *Dux Zulta, demortuo Patre omnes Primates Regni sui, communi Consilio, et pari voluntate quosdam Rec-tores Regni sub Duce præfecerunt, qui moderamine Juris Consuetudinarii, dissidentium Lites Conventioni-bus sopirent, alios autem constituerunt Ductores Exer-citus.* Credo sat clara sunt hæc *Limitati*, quod Hunni in Almo Duci, et successoribus illius detu-lerunt Imperii fundamenta, et residentis penes Po-pulum etiam Potestatis Legislativæ Argumenta. Fal-sa itaque Grossingerii propositio: Quod Hunni Al-mo Duci *illimitatum detulerint Imperium.*

Qua Potestate Legislativa sub ipsis etiam dein Regibus inde a temporibus S. Stephani semper usam fuisse Nobilitatem docet S. Steph. Libri 2di Cap. 14. *¶*hus: *Secundum Decretum Regalis Senatus.* E-jusdem Cap. 16. *¶*hus: *Secundum Senatus Nostri De-cretum.* Cap. 19. *¶*hus: *Secundum Regalis Concilii Decretum, penitus interdictum est.* Cap. 23. *¶*hus. *Decrevimus Nostrorum Primatum Conventu.* Cap. 27. *¶*hus: *Quia in hoc Regali Concilio Decretum est. Quod ante Senatus. Conventus. Concilium erat: Nunc Dixta vocatur.* Item Cap. 29. *Secundum Regalem Senatum Decretum est.* Cap. 32. *¶*hus: *Secun-dum Decretum Senatus statuimus.* Denique Chartu-tius, qui de Decreto sic ait: *Stephanus Princeps Regia Dignitate auctus quam Vitam egerit, qua prudentia et Moderamine fuerit, istud satis declarat e-dictum, quod ab illo cum Episcopis, et Hungariæ Pri-matibus promulgatum est.* Si in Concilio, si cum Episcopis et Regni Primatibus! ergo evidens est; hos quoque ad Legislationem, et publicorum negotio-rum Ordinationem influxisse. Quin imo Lege pu-

blica signanter Decreti 1. Cap. 4. et 8. sancitum fuit; *Ut in ipsa forma Regiminis antiqua Consuetudo observetur.* Consuetudo autem antiqua sub Ducibus in pactis primævis erat illa: Ut Nobiles ipsi etiam in Legislationem ac Ordinationem Negotiorum publicorum, prout remonstratum est, influant. Hic itaque influxus ultro quoque per Legem stabilitus existit. Præterea docet S. Ladislai Lib. 2. Cap. 1: *Temporibus piissimi Ladislai Regis, omnes nos Pannoniæ Optimates Conventum fecimus, et quaesivimus, qualiter Gentis Nostræ expedirentur Negotia. Primum omnium statuimus. Ut &c. Item ejusdem Decr. Lib. 3. Cap. 1. Hoc decreverunt, hanc Legem statuerunt Optimates. Item Lib. 3. Cap. 15. Quicumque ergo Regis, et Principum, id est Optimatum, ac Procerum prout ex Decr. 2. Cap. 1. apparet, Decreta fregerit, si Episcopus est, secundum voluntatem Regis dijudicetur, si Comes, a Comitatu degradetur; si Centurio, honore privetur. Item Diploma Caroli 1. Quod sic incipit: Nos Carolus &c. Quod Nos Prælatorum, Baronum Nostrorum Voto Unanimi 1342. Sigismundi Regis de Anno 1435. Sigismundus favente Divina Clementia &c. Postquam Certam Conventionem Nobilium de singulis ipsius Regni Comitatibus convocari fecissemus, tandem de eorundem Unanimi Consensu, Voto et Deliberatione infrascriptas Constitutiones, Statuta et Leges iis perpetuo duraturas, et inviolabiliter observandas disposuimus, decrevimus, et duximus ordinanda. Item ejusdem Decr. 2. Art. 17. Una cum Prælati, Baronibus, et Regni Nostrî Proceribus decrevimus. Ut Mercatores, Negatiatores solvere teneantur. Alberti Regis: Quod antiquas Leges et Consuetudines hujus Regni, et Libertates Regnicolarum ad priorem suum modum et Statum Prælatorum, Baronum, et Nobilium Consilio, et Auxilio reducemus, et in iisdem ma-*

*manutenentibus, conservabimus. Mathiæ Corvini. Nos Matthias Sc. significamus per Præsentes, quod cum his Diebus in præfenti scilicet Generali Congregatione Univerforum Prælatorum, Baronum, et Procerum, Nobiliumque Regni Nostri in hac Civitate Nostra Budensi celebrata, una cum iisdem multa et Magna disposeremus ad meliorandum Statum Regni Nostri prædicti oportuna, inter alia iidem Prælati, Barones, Procere, et Nobiles unanimi omnium Consensu, et voto obtulerunt, et præsentarunt Nobis quosdam Articulos Sc. Quos quidem Articulos Nos Matthias Rex per Nos, ac dictos Dominos Prælatos et Barones, nec non Procere, et Nobiles Modo præmissis de beneplacita omnium voluntate et Consensu confectos acceptamus, approbamus, et perpetuo duraturos ratificamus. Et aliorum etiam successive Regum Decreta signanter Ulad. Decr. 3. Art. 1. de Ao. 1498. et Ludovici 2. Anni 1518, 28. Art. in quo omnes Nobiles ad comparendum pro Generalibus Regni Comitibus sub pœna, et quidem Prælati et Barones fl. 800. Nobiles vero fl. 400 adstringebantur. Clarum præbent Testimonium Nobilitatem Hungaram ab ipsa Regni Institutione in Legislationem, ac Ordinationem publicorum Negotiorum, quæ in Comitibus tractabantur. Semper influxisse. Quin imo influere debuisse.*

Non itaque abusus iste, prout Grossingerius temerarie asserit, Usurpatæ per Regnum potestatis Legislativæ recentioribus irrepsit temporibus, sive Regum, ut ait, ignavia, sive seditiosorum temporum Injuria, verum usus, uti ex præmissis patet, fuit Regno Coævus ex initiali Almo Duci delata forma Regiminis, cum eodem pactata profluens; Jure questus. Ex quo suapte sequitur Regnum Hungariæ neque sub ipsis Regibus *Unquam fuisse Monarchicum.*

Nihil in obversum hujus facit *Shus* ille ex Dec. 2. S. Stephani citatus. *Dei nutu Nostram gubernando Monarchiam statuimus Genti Nostræ.* Duplex enim est Monarchia. Altera *absoluta*, seu excludens omnem Populi Legislativam potestatem. Altera vero, *Pactis conventis ac Legibus Limitata*, ubi populus etiam ad potestatem hanc influit; comunem sibi habet coregentiam, et Rex juxta illud *Taciti de Antiquis Germanis: Auditur auctoritate suadendi potius; quam jubendi potestate.* Cujusmodi formam Regiminis, cum *Aristocratica*, optimam, sanissimamque statuunt sensa omnia politicorum —

Et hanc Proto-Rex Noster intellexit, dum dixit: *Nostram Gubernando Monarchiam*, non item absolutam illam, et exclusivam. Quemadmodum enim in prima Hunnorum Regiminis Origine Nobiles cum Duce suo unum Corpus Politicum Regiminis effecerunt, ita postquam ex Libera eorum Electione, Regia Dignitas constituta fuit, ac in Coronam Regni Hungariæ omnis Jurisdictio, et Imperium translatum est, in hac S. Regni Corona, Corpus Politicum Regni Hungariæ coadunatum est. Cujus Caput Rex, Membra vero Nobiles Regni efficiunt; ac ideo juxta Tit. 4. Par. I. O. D. T. *Nobiles per quandam participationem, et connexionem Membra S. Coronæ esse dicuntur. Nulliusque Nisi Principis Legitime coronati subsunt potestati.* Rex igitur Legitimus, cum Nobilibus unum Corpus Politicum Regni Hungariæ constituunt, per quod ipsa Legislatio, ac ordinatio negotiorum publicorum exercetur.

Potestas tamen illa Legislativa eminenter penes Regem qua Caput Regni, et Corporis huius Politici residet, cum Statibus nihilominus Regni, ejusdem videlicet Corporis Politici Membris ita comunicata est, ut horum etiam Consensus ad v. m.

Legibus conciliandam necessarius fit. Par. 2. Tit. 3. D. O. T. §. 3. Quo tamen summæ Potestati Regiæ nihil derogatur; quamvis enim potestate Legislativa ipsi etiam Nobiles Status Regni utantur; Summa tamen Potestas penes Regiam Majestatem residens adeo eminent, ut omnia Nomine Regio agi, ac Authoritate Regia publicari soleant, et debeant. Unde luculenter apparet: Quod Reges plena cum dignitate Monarchæ sint, et si illas Regiminis sui, et Jurium Majestaticorum partes, a quibus salus publica, et totius Reipublicæ Incrementa, omniumque Civium commoda dependent, cum Consilio et Consensu suorum fidelium subditorum Nobilium ex ipsa Regni Institutione exercere obligentur. S. Steph, Decr. 1. Cap. 4. et 8. Ubi antiquæ consuetudines observari præcipiebantur. Vetus autem consuetudo in primævis pactis radicata fuit: ut Nobiles etiam cum Duce suo in Legislationem influant. Recte igitur S. Stephanus Rex Regnum suum nominavit Monarchiam. Verum in præscripto sensu intelligendam, quam Regibus Hungariæ competere nemo est, qui audeat inficiari.

In hoc sensu etiam Tit. ille 3. Par. 2. D. O. T. Ubi potestatem condendæ Legis, et facultatem Judiciaræ potestatis Verböczius in Jurisdictionem S. Regni Coronæ, et subsequenter Principem ac Regem Nostrum Legitime constitutum translata esse exponit, intelligendus est: Quod nimirum Potestas hæc in Corpus illud Politicum Regiminis, quod in S. Regni Corona coadunatum est, translata sit, præminenter tamen in Regem, qua Caput ejusdem Corporis Politici. Quod ultro ex eodem Tit. patet, ita enim eundem Verböczius continuat: *Et sic postea Reges ipsi convocato, interrogatoque Populo Constitutiones facere ceperunt, prout et temporibus nostris fieri consuevit. Attamen Principes proprio motu et absolute*

potissimum super Rebus Juri Divino, et Naturali præjudicantibus, atque etiam Vetusæ Libertati totius Hungariæ Gentis derogantibus Constitutiones facere non potest. Sed accersito, interrogatoque Populo, si eis tales Leges placeant an ne? qui cum responderint, quod sic, tales postea Sanctiones (Salvo semper Divino, naturalique Jure) pro Legibus observantur: Plerumque autem Populus ipse non ulla, quæ ad publicum bonum conducere arbitratur, unanimi Consensu decernit, inscriptisque Principi porrigit, supplicans super illis Leges sibi statui. Et si Princeps Ipse ejusmodi Sanctiones acceptaverit, et approbaverit, tum vim Legis pari modo sortiuntur, et de facto pro Legibus reputantur. Quæ tamen omnia specialiter Principis, et non Populi Statuta nuncupantur, eo, quod nisi utroque modo Principis accederet Consensus, et Confirmatio, nullius censeretur firmitatis ipsa Constitutio. Verum Generali Nomine Constitutiones hæ ipsæ sæpe Numero Regni Decreta vocantur. Cum nulla Lex in Hungaria citra Generalem Populi Conventum condi valeat; Imo Status Hungariæ sæpius citra vel Regis præsentiam, quam plurima sanxerint, prout inferius clare demonstrabitur.

En clarissima residentis ab Origine penes Nobiles etiam Regni Status, et exercitiæ semper Potestatis Legislativæ Testimonia: Quidquid adversus hæc ogganniatur, mera sunt Vaniloquia, nuda Sophismata, ex quibus non evertitur Veritas ætate sæculorum firmata, Legibusque ac vetusta Consuetudine stabilita, nec evincetur Regnum hoc, unquam absolute fuisse *Monarchicum*.

Sed neque dici potest ab Origine fuisse *Hæreditarium*! Quia Hungari ab Origine in Jure ac usu Liberæ Regum Electionis existierunt. Quod et fide digna Historicorum testatur Autoritas, et ipsa Regum innuunt Diplomata, in quibus se *Libera Populi Electione ad Regiam evectos Dignitatem recognoscunt*. Sanctum enim Stephanum I. Hunga-

rorum Regem pro Regia electum fuisse dignitate testatur et Tit. 3. Par. I. D. O. T. et universalis ac eadem omnium Historicorum est sententia, e quibus unum adtulisse sufficiat *Petrum Ranzanum* Scriptorem et Extraneum, et Veterem, qui sequentia in sua de Hungaria scribit Historia: *Cum Hungariae Optimatibus placuisset, ut qui titulo Ducis tot praesset Populis, totque Viris, generis claritudine, autoritateque Magna insignibus, uteretur magis honorata appellatione, Regiam elegerunt dignitatem; Omnium igitur miro applausu, Consensu eligitur, appellaturque Ipse Rex. Abam Electione Procerum ad Regium electum Solium, praeter alios asserit etiam Joannem de Thurocz in Chronica Hungarorum. Elegerunt quemdam Comitem Nomine Abam Sororinum S. Stephani Regis, et eum super se Regem constituerunt. De Salomone Idem Cunctis Regni Optimatibus Consentientibus Salomon Unctus est in Regem. Idem de S. Ladislao scribit sequentia: Audita Morte Regis convenit Univerſa Multitudo Nobilium Hungariae ad Fratrem ejus Ladislaum, et eum conuni Consensu, parili Voto, consona voluntate ad suscipienda Regni Gubernacula concorditer elegerunt, imo magis affectuosissimis precibus compulerunt. Quod ipsum Ranzanus quoque cujus Authoritate ac Testimonio ad rem suam utitur ipse Grossingerius. Confirmat Indice 2do sequentibus: Post Geysae Mortem, Hungariae Primates se conferrunt ad Ladislaum, quem inritum-nimiumque venientem Regem tandem sibi eligunt. De Andrea I. Idem Petrus Ranzanus in Epitomio rerum Hungaricarum Indice 10. Sequentia scribit: Petro successit Andreas, qui fuit uno Hungarorum omnium Consensu electus, Regiaque donatus Corona. Albertus in suo Diplomate de Anno 1439. asserit. Nobis favente Divina Clementia in Regium solium ipsius Regni Hungariae votive electis. Et si Matthias Corvinus, quem precarium Regem fuisse dicit, prateratur Uladislauſ 2. qui sic ait in suo Diplomate: Domiu*

Prælati, Barones, cæterique Proceres, et Nobiles, et universi Incolæ Regni ejusdem, ad quos scilicet Jus eligendi Regem ex vetustissima ipsius Regni Libertate, et Consuetudine devolutum exstiterat, post plures tractatus de Novo Rege eligendo, et præficiendo inter se habitos, oculos Mentis ipsorum in Nos conjecerunt, et cæteris omnibus Principibus Christianis Competitoribus scilicet Nostri, qui videlicet Regnum ipsum similiter ambiabant, Nos prætulērunt, sibi que cum infra scriptis pactis, conditionibus et Articulis in Regem, Dominum, et Principem elegerunt, et solemniter pronunciaverunt. Ferdinandus 2. &c. Nos Ferdinandus &c. Iidem Status et Ordines Nos in Regem, atque Dominum ipsorum juxta antiquam Consuetudinem, et Libertatem eorundem semper observatam, paribus Votis et unanimi Consensu rite elegerunt. Leopoldus Nos Leopoldus &c. Quod posteaquam universi Prælati, Barones, Magnates, et Nobiles, cæterique Status et Ordines Inclivæ Regni Hungariæ Nos in Regem, atque Dominum ipsorum juxta antiquam Consuetudinem, ac Libertatem eorundem semper observatam paribus Votis, et unanimi Consensu rite et Libere eligerent, proclamarent, et coronarent. Major credo his fides adhibenda est, quam inani, ac infundatæ sermotinationi, cujus fallitatem ipsa etiam illa Sylvestri 2. quam ex Chartutio inducit Bulla: Prudentiæ Tuæ Hæredibus, ac Legitimis Successoribus habendum, tenendum, regendum, gubernandum, ac possidendum reddimus et conferimus. In sublequo statim §. Posteaquam per Optimates Legitime Electi fuerint. Clare ac evidenter remonstrat.

Dicit quidem ille, Objectionem hanc aliunde vste præmetuens §. illum: Posteaquam Legitime electi fuerint: Non ad Hæredes, sed ad Successores duntaxat illos referri, qui extra Hæreditatem nullo jam exstante e Regia Profapia Hærede, Regnum adepti fuerint; sed quam inepte istud ad rem suam

suam detorqueat, Nemo est, qui non observet ex Clarissimo Bullæ ejusdem tenore.

Nihil etiam in Obversum horum probat citato ex Decr. 2. S. Stephani Regis §. Ubi idem de Statu Ecclesiastico sic ait: *Itaque sub defensione Regis sit, et sicut propriæ sic attendat hæreditati.* Ergo inquit hæreditas est, ac Regnum hæreditarium! Paritas enim hæc solum est, et comunis, ac usu receptus loquendi modus, dum res quæpiam peculiari alterius Curæ comendatur, ex quo aliud inferri nequit, quam quod Proto-Rex Noster peculiarem Status Ecclesiastici Curam habendam esse voverit; Non vero, quod aut hic, aut Regnum ipsius fuerit hæreditas, quemadmodum exinde violenter concludit.

Sed neque ex eo, quod Hunni ex Almi Progenie Duces futuros permiserint, aut quod Reges etiam successive e Regia Profapia descendentes regnaverint, ab Origine Hæreditaria in Regno Successio Legitime evinci potest; id enim innatæ Hungarorum erga Reges suos pietati, respectui, tribuendum est, quod fere semper eos elegerint Reges, qui e Regio descendebant jam antedecano Sanguine. Sufficit, quod inter hos etiam Liberam exercuerint Electionem; quemadmodum inter quatuor *Caroli I. Filios.* Tertius natu, *Ludovicus* fuit in Regem electus. Item præteritis filiis *Geysæ: Colomano et Almo, S. Ladislais: Frater ipsius Geysæ.* Item præterito filio *Andræ I. Salomone.* *Bela I.* frater *Andræ I.* Item prætermisso filio hujus *Bela, Geysa; Salomon* filius *Andræ.* Præterita *Eli-sabetha* filia *Sigismundi.* Coronant Maritum ejus *Albertum,* quamvis jam habuerint Hungari Foeminam regnantem *Mariam I.* Post decessum *Ladislai Posthumi,* Regem dicunt *Matthiam Corvinum,* nullum plane seu Descendentem, seu vel Cognatum  
La-

Ladislai. Post Mathiam creant vicissim *Uladilaum* Bohemiæ Regem, æque nulla Cognatione junctum priori, post obitum *Ludovici* 2. Regem faciunt *Ferdinandum* 1. Affinem Ludovici 2. Post Lineæ Ferdinandi 1. defectum, Regem elegerunt *Ferdinandum* 2. Caroli Archi-Ducis Filium. Ex Ferdinandi 1. Filiis duobus, elegit Regnum *Ferdinandum* 3. velut digniorem Solio, altero Filio *Leopoldo Vilhelmo* 1625. Art. 3. Mortuo *Josepho* 1. Hungari non elegerunt sibi Reginam ex Linea *Josephi* 1. descendantis, sed admoverunt Sceptro Fratrem ejus *Carolum* Sextum dictum. Neque hoc in Maribus deficiente, rediverunt Hungari ad Lineam *Josephi* 1., quæ alias ex principio *Grossingerii*, Hæreditarium Regimen semper ab exordio statuentis, Jus præferentiæ habuit, eidemque addicit, consequentia tractatus sui, verum coronarunt *Mariam Theresiam* Filiam *Caroli*. Et sic alii præ aliis in Reges eligebantur, non observato Genituræ Ordine, sed solo Statuum ac Ordinum Regni arbitrio, habito tamen semper Regii Sanguinis respectu; donec tandem Jus hæreditarium cum Stabilito certo Successionis Ordine: Sub *Leopoldo* Rege Anno 1687. primo Sexui Masculino *Augustæ* Domus *Austriacæ* fuisset delatum, ac dein Anno 1723. sub *Divo* condam Rege *Carolo* VI. ad Sexum quoque Fœmineum Communi Statuum, ac Ordinum Regni Consensu, et Voluntate extensum.

Qua autem ratione hæreditaria hæc Successio *Aug. Domui Austr.* delata sit, docent Ar. 2. et 3. 1687. Item 1715. 2. et 1741. 1. et 12. qui expressis Verbis declarant Hæreditariam in Regno *Hungariæ* Successionem primum Masculis, dein vero Sexus quoque Fœminei *Augustissimæ* Domus *Austriacæ* Successoribus ea Lege per Status et Ordines Regni delatam esse; *Ut nempe futuri Hæredi-*

rarii Reges Hungariæ erga semper, ac toties, quoties ejusmodi inauguratio instauranda erit, præmittendam Articulorum Diplomaticorum Acceptationem, seu Regiam de indubia Statuum ac Ordinum Regni in universis suis Libertatibus, Juribus, Privilegiis, bonis ac approbatis Consuetudinibus Conservatione asssecurationem, deponendumque superinde Juramentum in ea, qua a Majoribus præstitum esset forma Dietaliter intra Regnum Hungariæ, rite coronentur. Præterea: Ut ad Casum Defectus Augustæ Domus Austriacæ avita, et Vetus, approbataque et recepta Consuetudo, prærogativaque Statuum et Ordinum in Electione, et Coronatione rursus Locum habeat. Si igitur hæreditaria in Regno hoc successio Imo sub Leopoldo Rege Augustæ Domui Austriacæ per Regnum delata, ac dein sub Carolo VI. ad Sexum etiam Fœmineum extensa est. Si 2do ad casum defectus Augustæ hujus Domus, Avita, Vetus approbataque Consuetudo, ac prærogativa Statuum, et Ordinum in Electione Regum rursus Locum habitura foret. Evidens est Regnum hoc ante delatam præviam hæreditariam Successionem Electivum fuisse.

Qua ratione enim Imo hæreditaria hæc in Regno Successio Augustæ Domui Austriacæ per Regnum deferri, et cur per eandem Augustam Domum Austriacam illa acceptari potuisset, si ab Origine in usu ac Possessorio hæreditariæ Successionis præexistisset; Quomodo item 2do ad Casum defectus Augustæ Domus Austriacæ vetus approbataque Consuetudo, ac prærogativa Statuum et Ordinum in Electione Regum rursus Locum habere posset, si iidem Status et Ordines in usu Electionis illius non præfuissent, id enim redire nequit, quod prius non præexistit, si igitur prævium ad casum Electio reditura foret, eandem præexistere debuisse innegabile est.

Falsum itaque est alterum quoque Grossingerii assertum: Quod idem ab Origine fuerit hæreditarium. Ac consequenter falsa etiam Duplex illa a prævio duplici asserto deducta Consequentia. 1) Quod Coronati in Hungaria nihil ad Regiam Dignitatem conferat, 2do: Quod male a Regibus in aditu Regiminis Juramentum exigatur, quo aliunde, ut ait, non obstringuntur. Hoc enim, ut Reges Juramentum deponant, et ex dictamine præcatorum Articulorum 2. et 3. 1687. Ubi expresse ponitur: *Deponendumque superinde Juramentum in ea, qua Majoribus præstitum esset forma.* Item 2. 1715. et vetusta Consuetudine profluit testante ad ipsum Art. 1. 1453. *Dominus Rex jurabit: Quod Regnum suum Hungariæ cum suis Regnicolis in omnibus et singulis Juribus, Libertatibus, ac Legibus, et approbatis Consuetudinibus inviolabiliter conservabit, in quibus Prædecessores sui idem Regnum et Regnicolas tenuerunt, et conservarunt.* Illud vero: ut coronentur: ex eo etiam præterea, quod juxta prædeclaratum Regni Systema, universum Imperium, et Jura Majestatica in Jurisdictionem S. Regni Coronæ translata sint, ad Complementum summæ Potestatis Majestaticæ Regibus collatæ requisitum est. Quod ipsum ex Combinatione Titulorum Partis 1. D. O. T. 4. §. 1. et Tit. 12. Item Par. 2. Tit. 14. Nec non Art. 3. 1723. in §. *Pariter et Successores Legitimi coronandi Hungariæ Reges in iisdem prærogativis et præmissis immunitatibus, et Legibus Status et Ordines Regni Partiumque eidem annexarum inviolabiliter conservabunt.* Non obscure eruitur, ac in ipsa Sanctione Pragmatica: ut Diætaliter intra Regnum Hungariæ rite coronentur, clare continetur. Confirmante hoc etiam Art. 4. 1741. qui in §. 4. expresse declarat. *Siquidem Jura Majestatica de Lege Regni solis Legitimè coronatis Regibus competere.*

Ex quibus suapte fluit: falsa esse consequenter, et reliqua, quæ ex hinc quasi per evidentem deducuntur consequentiam ad infringendas cumprimis Nobilitatis Hungariæ prærogativas, et ideo nec Opus foret ulteriori eorundem refutatione. Ne interim Libertas illa ac prærogativæ Nobilium, quas malevolus ille tantopere in suo fugillat, ac evertere nititur opusculo, falso revera, aut forte nulli inniti videantur fundamento. Operæ pretium videbatur eas ab Origine sua deducere pro noticia cumprimis eorum, qui Jurium Hungariæ ignari e malevolis ac falsis Grossingerii principiis, finistram forte de illis concepissent opinionem.

Planam ad hoc, si cæteri etiam prætereantur Rerum Hungaricarum Scriptores, pandit viam ipse Grossingerius, qui in suo refert opere: *Hunos e Scythia egressos, ac in Pannoniam advenientes unius omnes fuisse Conditionis; Non illos ex una eademque Stirpe descendentes, Nobilitatem, aut Servitutem distinxisse, omnes Liberos fuisse; verum Libertate hac eoque solum usos, donec Almo Duci illimitatum detulissent Imperium.* Recognoscit ergo Gentem hanc ob Origine fuisse Liberam ac Nobilem, sed Libertate hac privatam, dum Almo Duci supremam ac illimitatam detulerant potestatem. Cum autem superius jam ex eodem *Anonymo Bele Regis Notario*, ex quo ille sua deduxit Argumenta, clare deductum foret: Potestatem illam Almo Duci per Hunos delatam haud fuisse illimitatam, verum Conditionibus restrictam, ac ligatam pactis, quibus et Dominium Rerum Armis aquisitarum, et potestatem etiam Legislativam, ac Ordinationem Negotiorum publicorum sibi reservarunt, evidens est: Eos in primæva sua permanisse Libertate. Suprema solum ac præeinenti Almo Duci delata potestate, cum quo uihilominus ipsi vi pactorum ho-

rum

rum in administrandis ac ordinandis Negotiis publicis unum Corpus Politicum Regiminis illius constituebant. Qui dein facta sub Arpado Duce Agri Hungarici (ut idem Anonymus et Belius referunt) partitione, et Provinciarum inter reliquos etiam Gentis suæ Duces, ac Bonorum Armis aquifitorum Nobiles inter et Milites Divisione, privata (præter eos, qui publicis constitutionibus obaudientes, et militare detrectantes tanquam imbelles, ex conditione Nobili, ac libera in servitutem redacti, et cum reliquis veteribus Regionis Incolis ad Agriculturam damnatis ejusdem conditionis sunt effecti) acceperunt Dominia, quibus Liberam, prout voluerunt, conformiter ad Tit. 9. Par. I. fruendi habuerunt potestatem, ab omni servitute conditionaria, et Datarum ac Tributorum onere immunes, qua absoluti rerum ac Bonorum suorum armis aquifitorum Domini, nulliusque nisi supremi Ducis, quem sibi sponte ac Libere elegerunt, subjacentes Potestati.

Postquam autem Regia Dignitas introducta fuisset, S. Stephanus Proto-Rex Hungarorum primævam Libertatem hanc, ac prærogativas ipsorum prout in ejusdem Decr. 1. Cap. 4. videre est, confirmavit, auxit, ac stabiles esse voluit. Quod sequens docet §.: *Quantus Decor Regiminis est: Fidelitas, Fortitudo, Agilitas, Comitas, Confidentia, Principum, Baronum, Comitum, Militum Nobilium. Illi Tibi fili Mi! sint Patres, Fratres, ex his Ne minem in servitutem redigas, aut servum nomines. Illi Tibi militent, non serviant.* Item Decr. 2. Cap. 35. *Consensimus petitioni Senatus: Ut unusquisque dominetur propriorum, similiter et Bonorum Regis dum vivit, et filii similiter dominantur; Unde patet imo Nobiles, quos in summo honore ac æstimatione Proto-Rex S. Stephanus habendos esse voluit,*  
 omni

omni servitute exemptos fuisse, nullam præterquam militandi obligationem habuisse; 2do: Ante tempora ejusdem S. Regis in Hungaria bona possidentes Jus Terrestralis Domini exercuisse, ac proprias res habuisse, quæ nempe ex primæva Occupatorum Regnorum, et Provinciarum divisione, ut jam dictum est, cuivis obtigerunt; Idem autem Jus Terrestralis Domini dein et Donatariis Regiis collatum fuisse. Quod in eo juxta Tit. 9. Par. 1. Coherenter etiam ad Art. 6. et præcitatum 35. S. Steph. Decr. 2. nec non ad Art. 2. And. 2. Decr. de Anno 1222. constitit: Quod justis eorum Juribus, et omnibus proventibus intra terminos Territoriorum suorum adjacentium Liberam semper, prout volunt, fruendi habeant potestatem, ab omni que conditionaria servitute, et collectarum, Tributorum, Vestigialium, Tricesimarum, solutione per omnia immunes, ac exempti habeantur; militare duntaxat pro Regni defensione obligati.

Ex Jure hoc Terrestrali, præter id, quod Nobiles veluti membra S. Regni Coronæ, Corporis illius Politici, quod in Jurisdictione Sacræ hujus Coronæ coadunatum est, partem constituentes, in potestatem Legislativam iulfluxum habere debeant, profuit etiam:

1) Quod Colonos sub suo Dominio Terrestrali constitutos, præter præstationes, quas juste ab iisdem exigere possunt, ea ratione quoque sibi obstrictos habeant, quod videlicet iidem juxta Ludovici Decr. de Anno 1351. Art. 16. per neminem absque voluntaria permissione Dominorum potenter abduci queant, verum secundum sancitas hanc in rem complures Regni Leges fugitivi hujusmodi et abducti Coloni judicialiter repeti possint, ac sub incursu dictatarum contra refractarios poenarum restitui debeant; Unde etiam promanat; quod sine

consensu Dominorum Terreſtrium Coloni nec Nobilitari poſſint, verum ab his primum manu mitti ſoleant juxta Tit. 25. 3. et Art. 27. 1622. Item 30. 1630.

2) Quod juxta Tit. 27. 3. et complures alias Leges, Dominus Terreſtris tam hæreditarius, quam temporalis, qua Jus hæreditarii repræſentans, ex parte Colonorum ſuorum cuilibet quærulanti judicium et juſtitiam impendere, et adminiſtrare teneatur. Adeoque primus Coloni, et Ruſtici Judex ſit proprius Dominus Terreſtris; ſi vero Colono et Ruſtico ab alio injuria inferatur, eandem Dominus Terreſtris pro eodem juxta Tit. 31. ejusdem Par. 3. lite vindicat.

3) Quod Ruſticus præter Laboris Mercedem in terris Domini ſui, quantum ad perpetuitatem, nihil Juris habeat, ſed totius terræ proprietatis ad Dominum Terreſtrem pertineat 30. 3æ.

4) Quod Domini Terreſtres juxta Tit. 30. Partis 3. et Art. 62. 1715. in univerſis bonis, rebusque mobilibus ruſticorum ſeu colonorum ſuorum acuiſtis non tantum in ſemine deficientium, et ab inteſtato decedentium, ſed etiam notæ infidelitatis, aut criminis Læſæ Majeſtatis reorum, imperturbate ſuccedant.

Præter præattactas autem præcipuas tam ex ipſa Natura formæ Regiminis Hungarici, quam ex primævo etiam, ac originali Nobilium Statu, et Conditione promanantes Statuum Regni Characteres, Jus nimirum Suffragii in Comitibus, Jus item Terreſtralis Dominii; ſunt præterea alia etiam Privilegia, et Libertates, quæ partim Nativis Regni Nobilibus ab ipſa Hunnici Regiminis in Hungaria Origine competebant, partim vero conſtituta dignitate Regia, et mutata in parte Regiminis forma per S. Stephanum Regem ultro conceſſæ, ac deinde  
per

per omnes successive Hungariæ Reges confirmatæ sunt, quæve in Decreto Andreae 2. Regis uberius explanatæ continentur.

Satis quidem adversus Decretum hoc, quod per extensum in suo deducit Opusculo, fusa, sed inani ac infundata Grossingerius strepit vociferatione, Singulum ipsius torquens ac fugillans Shum, ex quo aliquid desumere posset suo deserviturum Systemati; sed cum claram obscurare nequiret veritatem, tandem et sublæstæ illud esse fidei asserit temerarie, et quod vi a Rege Andrea per Regnicolas foret extortum, adeoque nullius deberet esse vigoris ac firmitatis.

Verum quam præsumptuose per hoc et summæ Regum derogat Authoritati, et injuriosa Regnicolas afficit ignominia! quasi vero omnes inde ab Andrea Reges, adeo fuissent ignavi et Jurium, ac Authoritatis suæ incurii, ut rem non veram, aut vi a Prædecessore suo extortam, suis omnes confirmassent Diplomatis. Et Regnicolæ ea erga Principem suum inhumanitate usi fuissent; ut confirmationem Nobilium suarum prærogativarum, in quarum usu aliunde præfuerant, vi ab eodem extorquere voluissent citra ullam ad hoc necessitatem.

Sufficit pro authentica Diplomatis hujus fide dignitate, quod illud per omnes successive Hungariæ Reges, ita prout in Codice Juris Hungarici expositum est, fuerit confirmatum, et in usu expressatarum in eodem prærogativarum Nobilitas stabiliter conservata, prout videre est in singuli Regis Diplomate Codici Juris Hungarici per extensum inserto. Quorum unum alterumve in extractis genuinis Shis hic pro majori rei evidentia adducitur. Et quidem 1) statim Ludovici I. *Nos Ludovicus, prædictas Literas ipsius Domini Andreae 2. Regis*  
 C 2 *Avi,*

*Avi, et Prædecessoris Nostri Charissimi Aurea Bulla sua roboratas omni penitus Suspitione carentes de Verbo ad Verbum præsentibus insertas acceptantes, ratificantes, et approbantes, similiter cum omnibus Libertatibus in eis expressis perenniter commisimus fruituros, et gavisuros. Matthiæ Corvini (sub quo nullis prærogativis Nobilitatem usam fuisse Grossingerius false asserit) Nos Matthias &c. Privilegiis et Decretis factorum D. D. Ludovici Regis, et Sigismundi Imperatoris, ac similiter Regis, nec non Articulis præmissis, quos iidem Prælati, Barones et Nobiles denuo fecissent, acceptis, et susceptis, eadem et eosdem præsentibus Literis Nostris de Verbo ad Verbum transumpta, et insertos simul cum omnibus Libertatibus et Institutionibus in iisdem conscriptis, ac simul cum Decreto prænotati D. Andrea Regis prædictum Dominum Ludovicum Regem confirmato approbamus, et ratificamus, et perpetuo duratura, et valitura confirmamus. Ferdinandi 1. Nos Ferdinandus Juramus: Quod Nos Ecclesias Dei, D. D. Prælatos, Barones, Nobiles, in suis Immunitatibus, Juribus, et Libertatibus, Privilegiis, et antiquis Consuetudinibus, Bonis et Approbatis conservabimus. Serenissimi condam Andrea Regis Decreta observabimus. Cujusmodi Juramentum omnes successive Reges tempore inaugurationum suarum præstiterunt.*

Ex his clare et evidenter apparet: Libertatem ac Prærogativas Nobilium Hungariæ neque per Verböczium, prout Grossingerius infundate ac malitiose asserit, pro Arbitrio suo proculas esse, neque in solo Decreto Andrea 2. Regis fundari, verum partim a primis jam Domini Hungarici Incunabulis suam habere Originem, partim vero cum ipsa Regni Institutione a S. Rege Stephano esse concessas, ac Diplomatum Successorum Gloriosissimorum Regum Hungariæ uberius explanatas, et confir-

firmatas. Nihil ad eas conferente Novi, seu Andrea 2. prout testatur in præfatione sua ipse §.: *Quoniam Libertas tam Nobilium Regni nostri, quam etiam aliorum instituta a S. Rege Stephano, per aliquorum Regum potentiam, ulciscantium aliquando iram propriam; aliquando etiam attendentium Consilia falsa hominum iniquorum; vel sectantium propria Lucra, fuerit inquam plurimis partibus diminuta &c.* procedens ultro: præsertim quia jam sæpius ad amaritudines non modicas est processum, quod ut honorificentia Regia conservetur, convenit evitare &c. ultro: *Concedimus tam eis, quam aliis hominibus Regni Nostri libertatem a S. Rege concessam, salubriterque ordinamus in hunc modum: agnoscendo prudenter Andreas, quod facta talia Regnantium, non nisi amaritudines mutuas cum populo, causare soleant. Cum nihil abominabilius, nihil intollerabilius sit, nihil humanitati, Juri Naturæ magis adversans, quam pactorum non observatio, et dum populus illum, quem sponte sua creat Rectorem suum, habeat malum, et Inimicum domesticum. Seu Verböczio, qui Mandato Regis Uladislai 2. non aliud, quam Decreta Regum, et Leges, ac Consuetudines vetustas conscripsit, et in debitum suum redegit Ordinem. Quod Opus ipsius per Deputatos Juris peritos revisum, ac Regi dein Uladislao præsentatum, idem Rex Decreto suo Budæ Anno 1514. sub Generali Regni Diæta aprobavit, omniaque in eodem contenta pro perpetuis Legibus ac Juribus valitura confirmavit. Et ita dein opus idem in Legem publicam abiisse ex eo etiam clarissimum est. Quod ab eo jam tempore Consensu Regum ac Regni pro Norma ac Regula omnium Fororum Judiciariorum ac Dicasteriorum propositum sit. Quod autem Autoritate Regum, et Consensu Regni Statuum, usuque vetusto ac continuo stabilitum, est, id Legem esse,*

negari haud potest; eo a fortiori: Quod Opus idem præter Leges et Consuetudines approbatas nihil in se contineat. Quas dato non concessio atate Uladislai, Rex ac Regnum haud approbasset, recepisset. Confirmavit subsequens, et in Legem municipalem vocavit, dum præteritis aliis Regibus, sub Regnantibus (quos nullus negabit veri Sanguinis Austriaci fuisse) ad Leges Comitiales citatur Tripartitum Verböczianum. Et quidem in specie sub *Ferd. 2. Anno 1635.* celebrata Dixta ad Art. 18. Part. 2æ. Tit. 2us. 3æ. 2us. quo ad *Leges et Statuta condendi auctoritatem penes Regem et Regnum residentem.* Qua in materia plurimum mortificatum habere vult Verböczium Grossinger. Sub *Ferdinando 3.* in Diætæ 1647. Art. 117. citatur iterum Par. 2æ. Tit. 77. Sub eodem *Ferdinando 3.* Anno 1655. Art. 26. Par 2æ. Tit. 42. 43. 46. et 57. Sub *Leopoldo* Anno 1659. Art. 104. Tit. 16. 1æ. confirmat, et quidem in tali materia, *ubi Regnum Fisco Limites præscribit procedenti, in Casu Notæ Infidelitatis.* Comitiam hæc provincialia, nulla sequitur Diætæ usque ultimam 1764-5 inclusive, in qua toties quoties, Tripartitum Verböczianum citatum non haberetur. *Institutiones Imperialis Juris*, æque consularunt Tres Juris Consulti. *Tribonianus, Theophilus, Dorotheus*, non Justinianus Cæsar, neque Imperium totum, et tamen pro parte Codicis Justiniani, pro Legibus Juris Civilis in præsens habentur.

Unde sequitur nec prærogativas has ac Libertates Nobilium, utpote ex Originali Hungarorum Statu ac Conditione profluentes, in primævis pactis radicatae, dein vero Decretis, et ex ipsa etiam sanctione pragmatica per Reges illibate conservandas, usque continuo stabilitas tolli, nec Privilegia, quæ essentialem cum iisdem connexionem haberent

revocari, neque vero Leges per Reges ac Regnum, utpote totum Corpus Politicum Regiminis conditas secus, quam communi itidem Statuum etiam Regni influxu, ac consensu mutari, aut abrogari posse. Multo vero minus Bona Nobilium qualia cunque ab iisdem pro libitu auferri. Quia illi Jure tam ex primæva Rerum Armis aquistarum Divisione profuo, quam et subsequæ ex Jurisdictione S. Regni Coronæ per Donationes Regias obtento proprietarii, et absoluti sunt Bonorum suorum Domini; Testante id ipsum præcitato etiam Sancti Stephani Regis Decreto 2. Cap. 35: *Ut unusquisque dominetur propriorum, similiter et Donorum Regis, dum vivit, et Filii etiam dominantur.* Testante præterea ipsa quoque Donationum Regiarum Natura, per quas Jura quævis possessionaria cum omni suo Territorio, et ad idem spectantibus appertinentiis, et Colonis, ac cum quibusvis Juribus Regalibus prius ad Jurisdictionem S. Regni Coronæ pertinentibus in perpetuam, prout Tit. quoque 84. Partis I. innuit, hæreditatem solent conferri eo Jure, quo ad Jurisdictionem S. Regni Coronæ devoluta erant, possidenda. Neque secus, quam per Notam amitti possunt, juxta S. Steph. Decr. 2. Cap. 35. ubi expresse dicit: *Nec pro ullius causa reatus detrimentum Bonorum suorum patiaturs quis: Nisi Consiliatus Mortem Regis; aut traditionem Regni fecerit.*

Nihil in Contrarium probante Grossingerio exemplis illis, quæ ad remonstrandam per Regem Andream Bonorum a Posteris *Rétel*. Item per Carolum I. Possessionem *Sempthei et Olmu* a Comite *Abraam Ruso* ablationem inducit, hæc enim pura fuerunt Cambia. Primum testatur citatus Anonymus Belæ Regis Notarius ita in sua referens Historia: *Rex Andreas de Posteris Rétel cambiavit Lo-*

cum illum. Alterum patet ex ipso Caroli Regis memorato diplomate, ubi clare exponitur: *In Concambium prædictarum Possessionum suarum quandam Possessionem Cseklész vocatam cum Castro in eadem habito similiter Cseklész vocato eidem Comiti Abraam Rufo et suis hæredibus, hæredumque Successoribus dedimus, et contulimus eo Jure, quo ad manus Nostras est devoluta perpetuo possidendam, tenendam.* Noviter ergo hic detruncavit Substantiam Rei ad imponendum Lectoribus —

Sed neque Contributio ulla, quæ aliquam servitutis speciem involveret, Jure imponi potest Nobilibus, quia ab hac ex Cardinali prærogativa sua in Originali Libertate fundata, ac diplomaticis Legibus S. Steph. Decr. 1. et Decr. 2. Item And. 2. Lud. 1. ac aliorum R. Decretorum stabilita, sunt immunes testante id ipsum etiam Art. 6. 1723. qui expressis Verbis innuit: *Siquidem juxta fundamentalem Patriæ Nobilitatis Prærogativam sensu Tit. 9. Par. 1. D. T. aliasque diplomaticas Leges Status et Ordines Regni partiumque eidem adnexarum ab omnibus tributaria servitute exempti haberentur.*

Ea, quæ Grossingerius circa præstitam, ut ait, sub primævis Regibus per Nobiles Decimam, ac Contributionem, utpote Lucrum Cameræ, et Subsidium: 1) Unius a singula porta floreni, ac dein alia quoque, et pro ratione circumstantiarum, ac necessitatis mutata Subsidia, et Contributiones inducit, non relate ad ipsos Nobiles, sed Colonos, et Subditos Nobilium intelligenda sunt. Nunquam enim Nobiles sive Decimam, sive Lucrum Cameræ solvebant. Primum testatur Decretum Alberti Regis Cap. 28. ubi dicit: *Nobiles tam Jobbagyiones habentes, quam et non habentes Decimas dare non tenentur, antiqua eorum Libertate requirente.* Si antiqua Libertate requirente, ergo exemptio hæc et ipsa

ipsa Natura Libertatis Nobilis profluit. Alterum patet ex Decreto Caroli I. cujus tempore Lucrum hoc Camerae inchoavit. Ubi expressis Verbis exponitur: *Civitates autem, et alii Regnicolæ Nostri præattactam Libertatem habentes, a Solutione Lucri Camerae Nostræ Regalis sint exempti.* Item Decr. 4. Sigismundi Regis: Statuimus: *ut Dictatores Lucri Camerae Nostræ Regalis Villicos et Operarios, nec non Familiares, qui de Curia Dominorum suorum victibus, et amictibus sustentantur, dicare non debeant. Si villici, operarii, et familiares Dominorum dicari non debeant, qua ratione Domini eorundem, qui ad mentem præcitati Decreti Caroli I. evidentem Libertatem habebant, dicari potuissent? quod ipsum Ludovici I. Art. 45. clare confirmat. Item Sigismundi Decr. 4. Art. 6.*

Subsidium autem floreni unius a singula porta tempore Matthiæ Corvini Regis per Regnum pro defensione Patriæ oblatum, solum per Jobbagyones Nobilium fuisse præstitum, docet ipse ille per Grollingerium citatus 1474. Articulus I. cujus tenor est sequens: *Per Nos Prælatos, Barones, ac Regnicolas conclusum, ac determinatum est: ut Subsidium unius floreni pro defensione Regni Hungariæ contra Turcas de omnibus Bonis tam Domini Regis Nostri, quam et Domine Genitricis suæ, quam etiam Nostri, et aliorum quorumcunque possessionatorum hominum, ac etiam per Civitates Regales de singulis Portis Jobbagyionum simul cum Lucro Camerae Majestatis Vestræ computando, irremissibiliter persolvatur.* Ex quo clare et manifeste apparet: Subsidium hoc sponte ac benevole per Regnum pro defensione Patriæ contra Turcas oblatum, Jobbagyonibus fuisse impositum. Secus enim ipse quoque Rex et Genitrix illius, de quorum Bonis Contributio hæc etiam præstari debuit, contribuuisse dici

de-

deberent: Quod subsequens statim ejusdem Decr. 4. Art. 4. uberius explanat sequenti §. *Quod Domus allodiales Nobilium, et Familiarum eorundem, qui expersis Dominorum suorum nutriuntur, villici quoque, et nimum pauperes pro Contributione hac non dicentur, neque Loca deserta, et molendina.*

Ita porro reliquæ etiam per Grossingerium ad remonstrandam Nobilium Contributionem inductæ Leges, prout ex claro earundem tenore apparet, sunt intelligendæ, quas ille, aut non intellexit, aut potius ad suum malevole detorquere voluit propositum. Subsidia enim hæc, ac Contributiones pro ratione Circumstantiarum temporis ac necessitatis communi Statuum Regni Consensu, sine quo ne Colonis quidem Contributio ulla imponi potuit, juxta Ulad. Decr. 5. Item Art. 12. 1681. et Art. 8. 1715. Cum enim quævis Jura Possessionaria cum quibusvis Colonis, et Beneficiis Regalibus juxta Cap. 6. et 35. S. Steph. Libr. 2. et Andreæ 2. Art. 3. et Tit. 9. Par. I. D. O. T. ita Nobilibus collata habeantur, ut plenum eorum Dominium, facultasque rerum suarum dominandi a Jurisdictione Sacræ Regni Coronæ in eosdem translata sint, neque alia obligatio eisdem ex veteri ac originali instituto imposta sit, quam Militare, et Banderia sua (certum videlicet numerum Militum) in Campum producere, ac in defensionem S. Regni Coronæ ex proventibus talium Bonorum tempore Belli intertenere; Hinc facta semel tali Collatione, aliquas insuper Contributiones ab hujusmodi Nobilium Colonis citra consensum Regni Statuum exigi haud possunt. Jam Majores, jam minores, prout in Codice Patrio sparsim videre est, per Colonos ac Jobbagiones Nobilium, ac Bonorum etiam Regalium præstandæ offerebantur. Donec tandem Anno 1715. Status et Ordines Regni solam sui exerci-

citationem cum hujusmodi etiam Subfidiis, defendendo ad omnes evenibiles circumstantias Regno haud satis sufficientem fore videntes, præter eam de validiori quoque, et regulata constanti Militia providissent; Quem in finem pro solutione stipendiorum Militarium Contributionem perpetuam per Colonos præstari debitam, semperque Diætaliter cognoscendam in conformitate Art. 8. 1715. Regi obtulerunt.

Sed etiam si aliquando ipsi Nobiles pro defensione Patriæ propulsandoque a cervibus hoste sponte quidpiam ac benevole contulissent, nihil id Libertati ac Prærogativis eorundem derogare potuisset, neque ulla exinde duci consequentia: quod per hoc Contributioni obnoxii fuissent, ultroquoque eisdem subjici queant. Aliud enim est contribuere, seu tributariæ subjectum esse servituti, a qua Nobiles ex Cardinali Prærogativa sua immunes sunt, aliud item sponte libero Arbitrio succurrere Patriæ, ita exposcente necessitate: Aliud demum Militare pro ejusdem ac S. Regni Coronæ defensione, et ea terre onera, quæ cum hac obligatione sunt connexa.

Sola hæc militandi, ac Patriam defendendi Obligatio Nobilibus ab Origine fuit propria, quæ pro diversitate circumstantiarum ac temporum, diversimode fuit regulata. Et imprimis Tit. 3. Par. 1. Ubi de exordio Nobilitatis Hungariæ agitur, uberius exponitur: quis illorum temporum fuerit modus exercituandi; Nimirum: Quod ubi Generalis Expeditio Exercitus incumberet, tunc Mucro vel Ensis Sanquinis aspergine tinctus Media per Hunnorum habitacula, castraque deferebatur, et vox Præconis subsequerebatur dicens: *Vox Dei, et Præceptum Comunitatis universe est, ut unusquisque in Locali, (eundem designando Locum,) armatus, vel qualiter*

ter potest, compareat, *Comunitatis Consilium simul ac Præceptum auditurus.* In quibus Comitibus tandem de modo contra hostem eundi; aut Limites Regni defendendi decernebatur, factaque per Communitatem Determinatione, quilibet attunc Miles, et Nobilis in Campum prodire, ac suis sumptibus Militare tenebatur.

Hic modus Militandi dein quoque introducta Dignitate Regia ita continuabatur, ut dum per Regem cum Consilio Procerum Expediitio Exercituali decerneretur, et promulgaretur, quilibet Nobilis, constituto per publicam conventionem modo militare, et in Campum prodire tenebatur. Qui dein modus exercituandi subsequente Insurrectionis Nomen accepit. Et hæc Personalis Nobilium Insurrectio ab ipsa Origine Regni semper in Regno vivebat.

Quia nihilominus Personalis hæc Insurrectio partim insufficientis erat contra tot vicinorum hostium insultus, reprimendos, partim vero improporcionata, ut nempe, is, qui exiguum in Territorio Regni possessorium fovet, tantumdem pro defensione Regni et Coronæ præstet, ac is, qui amplis Bonis ditatus, longe majori Titulo procurandæ salutis publicæ obstrictus est; hinc jam sub Rege Colomanno Decr. Libr. 1. Cap. 4. Ii, qui centum penfas, proventuum habebant, unum loricatum Militem, si vero quadraginta, Militem absque Lorica educere tenebatur.

Sub Andrea 2. vero, juxta Decr. ejusdem Art. 7. cum Insurrectiones hæc nimium frequentes fuerint, Regesque extra Regnum quoque Insurgentes Milites cum gravibus eorum expensis eduxerint, consequenter Nobiles Regni in facultatibus suis multum enervati fuerint, statutum fuit: *Ut si Rex extra Regnum Exercitum ducere voluerit, servientes cum*

cum ipso ire non teneantur, nisi pro pecunia ipsius, et post reversionem Judicium Exercitus super eos non recipiat. Nisi vero ex adversa parte, Exercitus venerit super Regnum, omnes universaliter ire teneantur.

Quis autem modus secundum omnes circumstantias insurgendi, Regnumque contra vim externam defendendi olim fuerit, non satis in comperto est; Verum sub Sigismundo Rege Decr. 5. Modus hic exercituandi definitus fuit. Ex cujus præfatione patet: Quod Regia Majestas Onus, quævis Castra, ac Munitiones, et Fortalitia in omnibus confinibus, ac metis Regni ex quacunque parte apud Regias Manus habita, et in futurum quovis eventu, et casu eisdem manibus applicari contingentia, suis Sumptibus Regalibus muniendi, et tutandi sufficientibus gentibus, armis, et victualibus, aliisque necessariis tam pro conservatione, vel defensione castrorum, et munitio-  
num ad tutandos Campos, et defendenda circumjacentia Campestria contra quosvis hostiles insultus sponte imo ex Debito Regali in suas Regias Curas assumpserit.

Principaliter ergo Gentes seu Milites Regales pro defensione Regni ex Coronalibus Proventibus, et Lucro Camerae interteneri solitæ excubabant; ubi autem hæc retundendæ hostium incurfioni pares non fuissent, extunc juxta Art. I. ejusdem Decr. Nobiles penes Banderium Regale, et præfatos stipendiatos Milites insurgere obligabantur.

Qua ratione autem Generalis hæc Infurrectio instituta fuerit, exponitur in ejusdem Decr. 5. Art. 2. *Conclusum est insuper ac statutum per Nostram Majestatem cum Prælati et Baronibus, ac Regnicolis Nostris; Quod tempore universalis Exercitus generaliter proclamati, singuli Barones, Proceres, et Nobiles possessionati, secundum quantitatem Dominiorum suorum, videlicet de singulis 33. Jobbagyonibus, seu Colonis proprias sessiones, et terras more aliorum Jobbagyonum*  
in

in Possessionibus, quibus resident, habentibus, et census; collectas; munera; servitia Dominorum cum aliis Jobbasyonibus supportantibus, unum! de centum vero 3. et sic consequenter, Equites necessariis armis instructos, ipsimet Personaliter accedendo, ad quoslibet Exercitus Generales conducere teneantur. Si vero, qui minus quam 33. habent Jobbagyones, suos, quos habent, cum aliis communerare debeant. Ceteri autem Nobiles Jobbasyonibus carentes juxta Art. 3. propriis in Personis ire debeant. Quemadmodum enim Rex ex proventibus Coronaliibus Milites pro defensione Regni tenere obligabatur, ita Nobiles quoque ex proventibus Bonorum suorum, quæ pleno Jure ac Dominio a Jurisdictione S. Coronæ in eosdem translata sunt, Onus hoc defendendæ Patriæ in casu præallatæ Legalis necessitatis incumberebat.

Huic Decreto potissimum omnes subsequæ Leges de modo insurgendi et exercituandi latæ innituntur, ac non nisi pro ratione circumstantiarum aliquæ mutationes fiebant. Ita quidem: quod sub Ladislao Posthumo juxta ejusdem Decr. 2. de Anno 1454. quo Decreto cum Consilio et Consensu Statuum et Ordinum Regni extraordinaria Infurrectio et Exercitus promulgatus fuit, Art. 14. dilerte cautum fuerit; Quod a modo et deinceps nullo unquam tempore talem inconsuetam Exercitationem sua Majestas Regia promulgabit, verum penes antiquam consuetudinem Exercitationis, videlicet per Sigismundum declaratam permanens sit. Ac ideo sub Matthia quoque Rege Decr. 3. Art. 7. conclusum fuit. Ut in Exercitatione, et levatione Banderiorum, ac Exercitus Generalis Regnicolarum teneatur idem modus, qui fuit tempore quondam dicti Domini Sigismundi Regis. Sub Alberto Rege Anno 1439. Decretum fuit. Dum necessitate urgente Exercitum Generalem proclamari contigerit, tum Nobiles Regni ultra metas et confinia Regni inviti more Exer-  
citu-

*citantium non ducantur antiqua eorum Libertate requirere.* Porro sub Uladislao 2. Non nullæ de modo exercituandi Leges conditæ sunt, quæ tamen in fundamento nihil diversum involvunt, sed constitutas jam Leges explanant, et numerum portallium Militum definiunt. Item sub Ludovico 2. Anno 1518. sub quo talis iterum Exercitus in Conventu Tolnensi promulgatus fuit, ac una etiam necessaria Contributio *Denar. 50 de singulis Sessionibus Jobbagyionalibus seu portis tam Regalium, Regnialium, ac Dominorum, quam etiam Nobilium Jobbagyionum, 1518. Art. 9.* pro temporis illius publicis necessitatibus Decreta. Præterea in Conventu Bacsiensi eodem Anno plures hanc in rem Leges conditæ sunt; Tandem subsequis Legibus Salaria quoque Militum insurgentium, et modus eos exolvendi definitus existit. Anno 1552. Art. 10. 12. 13. et 14. circa particularem Insurrectionem qualiter penes Capitaneos Hungaros instituendam actum ac constitutum fuerat. Anno porro 1603. Art. 3. Pecunia quoque Generalis Insurrectionis suppeditata. Dein rursus subsequis temporibus non nullæ Censstitutiones factæ, ubi Ecclesiasticis Militem intertenendi onus ex proventibus Decimarum imponebatur. Uti Art. 5. 1555. Juxta Art. autem 11. 1596. tempore similium Insurrectionum quilibet Comitatus peculiare Vexillum et Capitaneum habebat.

Quæ militandi, ac Patriam defendendi obligatio, per Art. quoque 8. 1715. et 6. 1723. per Regiam Majestatem attunc Regnantem, stabilita est. Contributione quoque stabili, pro intertenendo videlicet perpetuo Milite destinata, *dum et quando eadem altrefata Majestas Regia juxta Regni Leges. Et ne per id avitis Nobilium prærogativis Juribus, et Libertatibus quocunque modo præjudicetur, (Quemadmodum subsequè in Art. 63. 1741. circumstantia hæc*

hæc explanata est;) necessum judicaverit, reservata fuit.

In cujus consequentiam recentius Anno 1741. Dum videlicet piæ memoriæ Domina Maria Theresia, Electore Bavaro cum numerofo Regis Galliarum Milite superiorem Austriæ Provinciam Armis hostiliter invadente, ipsamque Urbem Viennam Veterem Augustæ Domus Austriacæ sedem obsidere, atque exinde etiam Regnum Hungariæ invadere volente; Rege autem Borussia Silesiam occupante, in arctissimis circumstantiis suis Status, et Ordines Regni non modo ad priscam Gentis Hungaræ Virtutem, et capienda contra dictos Inimicos suos Arma benigne cohortari, verum etiam Sacram suam Personam, Augustasque Regias Proles Fidei et Consilii Fidelium suorum Hungarorum committere dignata fuisset; iidem Status et Ordines pro hac summa erga se Majestatis Regiæ fiducia, innuente Art. 63. ejusdem Anno 1741. Insurrectionem Generalem decreverunt. In quo Articulo ad omnia ea, quæ olim ad formam Exercitationis Legalem pertinebant, reflectebatur, ac omnes pene veteres Constitutiones confirmatæ sunt.

Quia tamen Portalis Insurrectio fixa jam stabili Contributione ex præcitato Art. 8. 1715. Legaliter exigi non posse videbatur, verum Personalis solum Insurrectio, et Banderiorum productio, hinc Insurrectio hæc sub iis Cautelis decreta fuit: *Ne per id fundamentalibus Patriæ Legibus, ac iisque Nobilium Prærogativis, Juribusque et Libertatibus quocunque demum modo præjudicatum fieret, et ne ex hinc futuris quibusvis temporibus Consequentia, formari possit.*

Quid autem Insurrectio hæc emolumentum attulerit, et qualiter Miles Hungarus pulsus, fugatisque ex Austria ac Bohemia Bavaris, et Gallis, Ditiones Bavari inundaverit, qualive terrore Hostium

Animos repleverit, historiæ testantur monumenta. Sufficit hic Loci referre: Bellicæ Gentis Hungaræ Virtute remoto a sinibus Nostris Bellitheatro, victriçia Hungarorum Arma, trajecto feliciter Rheno, in Gallicanas Provincias translata fuisse, Solium Augustæ Dominæ jam jam vacillare captum, stabilitum fuisse, priscam deinde Domus Austriacæ Majestatem, Magnæ Mariæ Theresiæ Armis et Virtute Hungarorum restitutam existisse. Quod ipsum etiam Clementissima hæc Domina, in sua ad Palatium Palatinum Hungariæ 13. Julii 1743. exarata recognoscit Litera, cujus tenor est sequens:

*Chære Palatine!*

Ex eo, quod de felici Rheni trajectu ex Nunciis publicis intellexistis, haud dubie Vobis constabit, quam strenue et fortiter Copiæ Hungariæ se gesserint. Secuti sunt initium adeo prosperum, successus adhuc fortunatiores, expugnata equidem Mœnia quasi invincibilia ad Lautenburgum, occupata etiam ipsa hæc Civitas, dispersi illi, qui in Regionibus illis erant Inimici, capta horum Vexilla, et Tympana. Quæ omnia post Omnipotentis Auxilium, fortitudini, dexteritati, et prudentiæ non nisi dictarum Copiarum Hungaricarum attribuenda sunt. Prouti ex Literis Principis Caroli Cognati mei Dilectissimi uberius hic percipietis; Non possum igitur, quin gaudium, quod abunde sentio maximum, palam Vobis faciam. Non ignotum Vobis est, quantus omni non tempore fuerit et affectus, et fiducia mea erga Nationem adeo mihi charam; persuasumque Vobis erit, et affectum, et fiduciam meam majorem in dies erga eandem fieri, cum in dies specimina majora habeam, quam parum spes de eadem concepta me fefellerit. Nihil proinde est, quod in Valore, Fideque Hungarorum omni prorsus Occasione mihi non promittam, nihilque, quod

lubenti, et grato Animo Majestatis Nostræ ad Regni bonum facere parata non sim. Quod superest Gratia ac Clementia Nostra Regia Benigneque, ne jugiterque propensa Vobis maneo. Non itaque inutiles fuerant contra septem conspiratas in excidium Domus tunc Austriacæ potentias; triumphantes Nobilium Insurrectiones!

Occasione demum Novissimæ Diætæ Anni 1764. per eandem Augustissimam Dominam coram Statibus et Ordinibus Regni Hungariæ Diætaliter congregatis clementissimæ propositum fuit, ut iidem Status et Ordines de eo etiam sollicito Studio, et omni Conatu agant, quo hocce Insurrectionis Negotium in eum redigeretur Ordinem, ut per ejus regulationem promptum atque efficax auxilium pro publica necessitate, atque adeo ipsius Regni defensione in omnes eventus haberi possit; Ad cujusmodi Benignam suæ Majestatis Sacratissimæ propositionem iidem Status et Ordines in homagiali devotione reposuerunt: Agnoscere se et hic vere Regiam, simulque Maternam in salutem publicam, communeque bonum, et emolumentum Reipublicæ singulariter directam Suæ Majestatis Sacratissimæ sollicitudinem; cujus in obsequium rationem omnem hoc in merito semet inivisse, Consilia contulisse, Legesque desuper sonantes diligentissime excussisse, Normam directivæ Methodi ex iisdem sumpturos novissimas Legum eatenus conditarum semet invenisse Constitutiones, comperisseque in Articulo 8. 1715. Agnitum fuisse per solam Insurrectionem Regnum sufficienter defendi nequire, adeoque validiorem regulatam Militiam tum ex Nativis, tum extraneis constanter pro omni eventu intertendam venire, ac ea ratione: Contributionem Colorum stabiliendam esse, ut ex hac Militiæ regulatæ stipendia pendi, per Militiam vero securitati, et defensioni Regni prospici possit.

Promptum igitur et efficax in omnem eventum auxilium Divi Caroli VI. Regis, Genitoris Suae Majestatis Sacratissimæ providentia, et mutua Statuum et Ordinum Regni Coalescentia jam constitutum esse. Haberi præterea innumerosa con-  
finiaria Militia, alendis item e fundo in defensionem Regni destinato, Regiis Gentibus præsidium. Ac ubi necessitatis ratio postulaverit, in Personali Regni Nobilium Infurrectione conformitate Articuli 8. per 6. 1723. confirmati præstanda, consistens subsidium.

Quam quidem Personalem Infurrectionem ex præscripto Art. 8. debitam ultroquoque hac etiam occasione prompte et alacriter obtulerunt. Ac in hoc etiam Virtutem Antenatorum æmulaturi, pro Regis et Regni defensione ac tutamine Vitam et Sanquinem pro omni necessitatis casu in sensu et intellectu genuino præcitorum Art. 6. 1723. et 8. 1715. Concordibus Animis et Votis promptissime Una ac devotissime iterum, iterumque ultro obtulerunt. Ad novam nihilominus Infurrectionis regulationem, propterea: quo illa ad omnem casum jam per Antenatos cum successu elaborata fuerit, accedere non voluerunt.

*Præmissa generalibus duntaxat perstricta principiis quamvis noscenti exasse rem Hungariæ, sufficerent ad damnandum plene opus Grossingerianum, verum ut particularium quoque hujus Commentorum falsitas magis detegatur. Materiam totam, etiam hospes in Statu Hungariæ, ruminatam, momentis præterea, ultra Juridica, Historico-politicis suffultam accipiat — Rescranda veniunt omnia Juris Hungarici, et Historiarum extranearum de Regno hoc penetralia, per ætatem, factorumque interventorum seriem; quatenus peregrini quoque oculis, velut in speculo proponant competentem Hungariæ Statum, ejusdem formam Regiminis, ad propulsanda*

*seu jam concepta, seu in futurum, ne fors attrahenda  
sinistra, desitu conditionis Hungaricæ principia!*

Majores Hungarorum, Regnum hoc, martia  
sanquinis effusione propriis expensis sibi compara-  
runt, testante *Prisco Rhetore, Anonymo Bele Regis  
Notario*: Historicis veteribus, Annalium Europeorum  
fide; ipsa Lege Municipali Ulad. D. 3. Art. 35. idem  
confitente, quemadmodum in Arbitrio horum fuit,  
Rege carere, prout hodieum complures subsistunt  
Reipublicæ. Vel constitutum licet Regimen semel,  
vicissim excutere; inter multa alia, recenti exem-  
plo Americanorum Belgarum. Ita in Dispositione  
ipforum situm erat, dum Regem sibi elegerunt.  
Quantum Jurisdictionis, et utilitatis Regiæ tali at-  
tribuant. Postquam suis circumscripta Limitibus  
potestas Regia per Caput coronatum acceptata fuit.  
Summa, et indispensabilis surrexit Regum obligatio  
populi Hungarici, spontanee semet unius Regimini  
subjicientis, Libertates, Consuetudines, Privilegia  
inviolabiliter observare, tanto magis: quod eate-  
nus, præstita quoque sit fides publica, pacta inter-  
venerint Juramentis solennibus firmata. Lex enim  
Dei, naturæ, Gentium, datam semel fidem teneri  
jubeat.

Ætate Caroli 6. Imperatoris, ac Regis Hun-  
gariæ, dum defectus masculinæ Lineæ Regimini  
admovendæ subversabatur; Regnumque Hungariæ  
ad Jus et Statum denuo electivum venerat. Quod  
testatur Art. 2. 1723. Item 2. 63. Art. 1741. re-  
late ad 2. 3. 1687. Item 2. 3. 1715. Denique  
ratio ipsius Belli defensivi, contra Electorem Ba-  
variæ, ac junctas cum ipso septem potentias, Jus  
successorium, ad Coronam Hungariæ prætendentem  
hac occasione Argumentum principale defunctæ Au-  
gustissimæ Mariæ Theresiæ ad excitandam Hunga-  
rorum Insurrectionem, sui que manutentionem pro-

po-

positum. Quod Status Hungariæ Jure Electivo gavisi cum decessu Patris sui Caroli 6. ipsam Coronæ Successorem scripserint, Juri Hungarorum electivo debeat Diadema suum, adeoque ut tam Jus hoc summi, quam factum Juris ipsorum in Articulo 2. 1723. defixum, ultro teneri velint. Potuit Hungaria vel conniventer tantum habendo semet Conatui Electoris Bavarix, ipsi deferre Sceptrum Regni sui, vel nullum prorsus Regem amplius acceptando, ad Statum Reipublicæ semet ponere, aut ex gente sua propria Regnantem eligere. Sed postquam recte ideo detulit Regimen Mariæ Theresiæ, quod hæc Juri Electivo Statuum adscribere voluerit Coronam suam, consequenter per hoc fiderint securiori etiam futuro relate ad internam normam Gubernii, Regimini. Quam si Electori Bavarix, Jus successorium vendicanti, habenas Regni contulerint. Jus tantum Jurisdictionis, illius autem, Statibus etiam Regni comunis, ac non in sola hæreditaria Art. 2. 1723. successione, verum etiam juxta provocatos in eadem Lege Articulos 2. 3. 1687. 2. 3. 2715. Inauguratione, juramentique ad observandas omnes præcedaneas gentis constitutiones, tam per ipsam, quam universos suos Successores, dispositione fundata, detulit. Non autem Jus proprietatis, et Dominium directivum Lege omni soluti Imperii. Ut luceant ista —

Forma, et pactis quibus, capeffivit Gubernacula Regni hujus defuncta Maria Theresia, inter alia plura, principalia erant regulati Status Gubernii inomenta sequentia:

Juxta 2. Articulum, item 3. 4. 1687. stipulatum erat: Ut toties quoties Regnantis inauguratio fuerit, semper præcedat Articulorum Diplomaticorum (in quibus forma Regiminis comunis, Provinciarum, ac Cardinales Statuum Regni prærogativæ

consistunt) acceptatio, Regia aſſecuratio, deponendumque ſuperinde Juramentum præſtetur Norma Diætaliſter jam præſcripta. Ut Articuli omnes Andrea 2. Hieroſolimitani, de Anno 1222. conditi, excepta clauſula 31. Articuli (Jus reſiſtendi, in caſu violandarum Regni hujus Legum, et Libertatum per Reges, abſque incurſu Notæ infidelitatis tribuente) in omnibus ſuis punctis, clauſulis et conditionibus obſerventur. Status, ac Ordines Regni, eorundemque Succeſſores, in univerſis comunibus, avitis, Juribus, privilegiis, Libertatibus, et Legibus, ſecundum prænotatos (nempe Andrea Regis Articulos) Diplomaticos, in omne tempus Regalium Sceptorum indemnes conſerventur.

Juxta 2. 3. Articulos 1715. Ut Libertates Leges, Conſuetudines, Privilegia tam præcedentia, quam ſubſeque in Diætis conſtituenda firmiter et ſanctè obſerventur, ac per alios obſervanda diſponantur. Sacra Regni Corona juxta veterem conſuetudinem Regnicolarum, Legesque Patrias, potè delectas ad hoc perſonas ſeculares, in Regno hoc conſervetur. Appertinentiæ Provinciæ hujus, ac Tenuta, Regno, partibusque eidem adnexis de toto reincorporentur. Ut in caſu defectus Maſculi Sexus, prærogativa Electionis Regiæ, Coronationisque, Statibus Regni, Jure poſtliminii illibato remaneat (cujus teſtimonium ſecutum in Maria Thereſia) et ad priſtinum vigorem redeat. Quotiescunque Inauguratio Regia ſecuta fuerit intra ambitum Regni hujus, toties præſentis aſſecurationis acceptatio, deponendumque ſuperinde Juramentum præcedat. Ne Regnum hoc, ad morem Gubernationum provinciarum, unquam regatur, dirigatur, verum juxta obſervatas proprias ipſius Regni Hungariæ hætenus factas; vel in futurum Diætaliſter conſtituendas Leges.

Juxta

Juxta 2. 3. Articulos 1723. præcedentia ultro confirmantur, et quoad observationem inviolabilem, etiam ad Successores extenduntur, sub hac, sine qua non! pactorum Conditione, Successionem in Regimine Hungariæ, filia Caroli 6. acceptantibus Regni hujus Statibus —

Articulo 2. 1741. Augusta Maria Theresia Sceptro Hungariæ admovenda, vi delatæ sibi per 2. 3. Articulum 1723. Successionis, cuncta præmissa corroborat, fide quoque Religionis Juramentalis semet ad ea observanda ligando in hæc verba: Nos Maria Theresia Dei Gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæque Regina &c. Juramus per Deum vivum, per ejus sanctissimam Genitricem Virginem Mariam, ac omnes Sanctos. *Quod Ecclesias Dei, Dominos Prælatos, Barones, Magnates, Nobiles, Civitates Liberas, et omnes Regnicolas in suis Immunitatibus, et Libertatibus, Juri- bus, Legibus, Privilegiis, ac in antiquis bonis, et approbatis Consuetudinibus conservabimus, omnibus Justitiam faciemus. Serenissimi quondam Andreae Regis Decreta (exclusa Articuli 31. ejusdem Decreti clausula incipiente: quod si vero Nos &c. usque ad verba: in perpetuum facultatem) observabimus, fines Regni Nostri Hungariæ, et quæ ad illud quocunque Jure, aut titulo pertinent, non abalienabimus, nec minuemus, sed quoad poterimus, augebimus, et extendemus, omniaque illa faciemus, quæ pro bono publico, Honore, et Juramento omnium Statuum, ac totius Regni Nostri Hungariæ juste facere poterimus. Sic Nos Deus adjuvet, et omnes Sancti.*

Maria Theresia juxta pacta hæc conventa, scandendo, Solium Regni Hungariæ, ingressa est Regimen *Aristocratico-Monarchicum*, seu limitatæ, non autem puræ, ac independentis *Monarchiæ*, prout enim declarata est in parte una *Contrahentis Submis-*

sio; et in altera *Submissionis Acceptatio*! Ita per pacta Jus ad statum populi. Ita Jus regnandi, ac disponendi surrexit. *Puffendorf Lib. 8. Cap. 3. de Jure Naturæ ac Genium.* In Monarchia Limitata. Jus omne Regis metiendum esse ex Legibus populi fundamentalibus *Volfius Lib. 3. Sec. 2. Cap. 2.* *Hugo Grot. de Jure Belli et pacis Lib. 2. Cap. 14.*

Modo regnans Augustissimus Cæsar Josephus 2. post decessum pietissimæ Genitricis suæ capeffens habenas Regni Hungariæ titulo *Successionis*, hæreditatem talem in Regimine quasi *Patrimoniali* (quam avitæ quæcunque hæreditates prolibus ab Intestato, tribuere solent. *Volfius P. 3. Sec. 2. Cap. 2.*) ingressus est. Nempe *Aristocratico-Monarchicam*! prout nempe per desideratissimam Matrem suam sibi relicta est, per ipsam cum Regno Anno 1723. 1741. pactata, Juramento firmata, cum extensa ad Successores universos, jam in utero, sanguine Regio, Augustissimæ Mariæ Theresiæ, ad observamen Ligæ sociæ, mediate con-jurantes, obligatione —

Quam tenere cogit adamussim non tantum vis pactorum conventorum in Articulo 1. 2. 3. 1723. item 2. 1741. defixa, consequenter Successionis taliter delatæ, deprehensæque ratio; verum etiam in accessu primo Regiminis Hungariæ, statim ad provinciales Comitatus omnes, sub *fide, subscriptione Regia* (quæ sacra in Orbe esse debent) extradata, assecuratio, nullam seu excusationem, seu restrictivam interpretationem recipiens coram orbe toto, quæ sequentibus emanavit:

Josephus 2. &c. Posteaquam e Dei ter optimi, maximique Bonorum omnium Largitoris inscrutabili Judicio, et Providentia Sacratissima sua Majestas Romanorum Imperatrix Vidua, et Hungariæ Apostolica, nec non Bohemiæ Regina, Genitrix Nostra desideratissima, hesternæ Luce cum intimo penetrantis

tis afflicti filialis Animi Nostri doloris sensu, relictoque in quibusvis fidelis, quem elapsis pæne 40 Annis materneli rexit Populi Animi jugi sui desiderio, sed præcipue etiam condigno Nationis Hungaricæ innumera maternæ Benignitatis, et Gratiarum monumenta participantis luctu ex hac temporali vita ad æternam quietem, ea quæ ipsi, dum in vivis ageret, propria fuit, rara animi constantia, ac fortitudine, sibi quæ usque extremum vitæ spiritum præsentissima transivisset, a tristissimo ejusdem statim decessu, Regni Hungariæ, qua virtute Diætaliū Anni hujus Seculi 23. 1. et 2. Articulorum in Hungariæ Regno, et Corona, ad eandemque perinentibus Partibus, Provinciis, et Regnis immediatis Hares, et Successor Regimen, et Gubernacula suscepimus.

Et quemadmodum mox, atque hæc capeffivimus, universa tam Aulica, quam Provincialia Dicasteria sub iis, quibus hæctenus obstringebantur fide, obligatione, et Instructionibus clementer confirmavimus. Ita Status quoque, et Ordines Comitatus hujusce de eo: *quod eosdem in Juribus, Privilegiis, et Libertatibus, et Immunitatibus illibate, inviolabiliterque conservare, nec iisdem quaqua ratione derogare velimus, præsentibus in antecessum etiam securos benigne reddimus.* Clementer una eisdem injungentes, ut benigne per nos confirmatis prævia ratione, et in pristina sua Auctoritate, atque Activitate plene stabilitis, tam Aulicis, quam vero Provincialibus Dicasteriis, illorum in Officii rebus nomine Nostro expediendis Intimatis, de hinc etiam morem gerere, Relationemque ac Remonstraciones suas ope eorundem Dicasteriorum, ad Thronum Nostrium Regium promovere noverint. Vobis in reliquo Gratia Nostra Cæsareo Regia benigne propèuli manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate  
Nostra

Nostra Vienna Austriae. Die 30. Mensis Novembris Anno 1780. Josephus (m. p.)

Comes Franciscus Eszterhazy (m. p.)  
Franciscus Györy (m. p.)

Quod autem in Regno Hungariae, a primo suo exordio semper substitit *Status Aristocratico-Monarchicus, seu Limitatae Monarchiae Regimen* nunquam enim juxta Puffen. L. 7. Cap. 6. visum est, consultum populo Hungariae, summam, et absolutam potestatem committere unius hominis Judicio, ab erroribus non immuni, et arbitrio in prava flexibili, sed potius certum modum Imperii gerendi ipsi praescribere; quales fuerint, et esse debeant Hungariae *Prærogativæ, Immunitates, ac Consuetudines, Hujus Icon Regiminis?* evincunt innumera Legum, Juriumque populi Specimina, quæ a primis initiis, usque moderna tempora hic proponentur.

S. Stephanus L. 1. Cap. 4. Filio suo Emerico Doctrinam dans, dicit §. 2: *Illi Tibi Fili mi! Sunt Patres, et Fratres.* §. 3: *Ex his neminem in servitutem redigas vel servum nomines. Illi tibi militent, non serviant.* Ista non sunt signa absolutæ Monarchiæ, quæ *Sclavitate, Servitute* tenet a potiori populum. Ultro §. 4. monet Filium suum: *Ne Cervicem super Comites, ac Principes erigat. Ne alienis tradant Regnum.* Liberum ergo erat alium deligere Regem, Capite licet coronato, pacta violante, et populum liberum, ut Mancipia tractante. Testatus est hic his justus Rex, Jurium sibi competentium mensura, certis legibus Regimen suum limitatum haberi. Et si pacta læderentur Capessiti Gubernii, Throno privari posse Regnantem, prout etiam accidit successive: *Petro, Abbe, Salamoni.*

Supremam potestatem Legislativam, specialiter penes populum ita, prout Regem constituisse patet ex *S. Steph. L. 2. Cap. 32. §. Secundum De-*

cretum Senatus statuimus. Senatus juxta *Volf. P. 3. Sec. 2. Cap. 2.* Est Cætus, qui ad Consilium de Rebus publicis superiori administrandum, adsciscitur. Hinc Senatus in Regno hoc nuncupatione veniunt. *Prælati, Barones, Magnates et Nobiles.* Sanctus Rex Deo conjunctus. Jam cum primis Regni incunabulis depræhendit certum denique illud esse: quod providentia, et Sapientia resideat in Consilio Universitatis Gentis alicujus. Vocem populi, esse vocem Dei. Plures oculos, plura videre. Unum, aut pauca Capita, quamcunque perfecta sibi videantur, nunquam tanti esse: ut plenam omnium rerum perspectivam habeant. Ideo enixe comendavit filio suo Emerico, Capite 7. L. 1.: quod cum per Consilium gubernentur Regna; defendantur; componantur prælia; summatur Victoria; salus Civitatum prosperetur. Ne Consilium habeat unquam cum *Juvenibus, et minus Sapientibus, sed a Senioribus quærat Consilium; quibus negotia propter ætatem, et sapientiam apta sunt.* Nam Consilia Regum in præcordiis Sapientum claudi debent. Quoties vero cum illis, seu Juvenibus, aut minus Sapientibus Consilium iniverit, etiam si sit habile; tamen semper ad majores deferat, ut omnes actus norma sapientiæ mensurantur. Quam in eo etiam ratione Regalis Dignitatis consistere statuit. Ejusdem L. 1. Cap. 8. Dum antecessorum Regum exempla imitatur Princeps. *Qui enim Antecessorum Patrum spernit Decreta, nec Divinas curat Leges, peribit.*

Sanctus Ladislaus. In Limine statim Decretorum suorum, L. 1. præfatione confitetur: *Præsidente super Regni sui Pontifices, et Abbates, nec non Optimates, cum Testimonio totius Ceri, et Populi Decreta sua inventa esse.* L. 2. Cap. 1. testatur: Solos Regni Optimates in Monte sancto convenientes, Decreta sibi statuisse omnia Libri hujus, quia vel Regis influxu, aut consensu egerint.

Colomanus D. L. 1. Initiali Capite inchoat : *Placuit Regi , et communi Concilio*. Seu populo in Comitibus congregato. Subsequa Capita: 9. 11. 12. Judicandos majores Regis Ministros , sibi populus reservavit. Cap. 20. Jura Regia limitavit. Cap. 37. In Comitibus *Mega* ; seu *Comitatu* ætate hac. Regi Judicii celebrandi ratione digressuro , duos Megales Judices cum Rege conjungendos disposuit. Cap. 45. Exemit Liberos a solutione octo Denariorum. Cap. 65. Potestatem Episcoporum in Ecclesia stabilivit. L. 2. Colomani , ad oculum remonstrat , per totum suum contextum. Regnum hoc , Leges Statum publicum concernentes , tam civiles , quam criminales statuisse.

Andreas 2. Hierosolimitanus , in omnibus Decreti sui , Articulis Triginta et uno , non habet Constructionem unam , quæ non evincat Limitatam omni aspectu Monarchiam , præcipue si consideretur conclusionem faciens Decreti Articulus 31.—

Carolus Rex. Decreti sui statim in exordio , *Votum unanime , ac Consilium populi , Regni hujus adhibere debuisse ad Constitutiones per se fiendas* profitetur. De Consilio Regni rem nummariam definiuit.

Ludovicus primus , Confirmatis , Avitis Hungarorum Juribus , potestatem Legislatariam , principaliter stabilivit , idem faciente Filia ejus Maria prima Conjuge Sigismundi Regis.

Idem Sigismundus Rex D. sui primi §.: *Nos itaque Sc. Una cum fidelibus Prælatibus , Baronibus et Proceribus Nostri , maturo exinde præhabito , et digesto Consilio Sc. Coram Nobis , et ipsis Prælatibus , ac Baronibus Nostri propositis. Item : e Prælatorum , et Baronum , et Potiorum Pegni Procerum sana deliberatione Sc. Constitutiones fecit. Decreti 2. §. 3. De Prælatorum , Baronum , et potiorum Regni*

*gni Procerum, ipsorum etiam Legatorum (seu ad Comitata Regni per Status missorum) Consilio, pro bono, et pacifico Statu, evidentique utilitate totius Regni. Leges condidit Decr. 2. Art. 18. 19. 20. 21. De Consensu et Consilio Statuum et Ordinum. De auro, argento, vitiatione Monetarum; sale externo disposuit. Ejusdem Articulo 17. Tricesimæ ex annu Statuum decretæ sunt.*

Albertum Regem. Decreti. Articulo 6. *Ligarunt Status Hungariæ. Ne proventus Regales liceat ipsi extraneis exarrendare, sed solis intraneis. Art. 7. reduxerunt excessus in Lucro Camere, quinquagesima, et Mardurinis praticari solitos, ad Statum temporis Ludovici Regis. Articulo 10. Monetæ immutatio fienda per Regem, et cussio Obulorum, sine præsentia Deputatorum Archi-Episcopi, et Magistri Tavernici, vetatur. Art. 13. Res Bello captas Militibus asseruit Regnum (exceptis notabilibus Personis Inimicorum, et hoc etiam erga Dona condigna recipiendis) Regi delatis Art. 14. Defensio Limitum Regni semper cum Consilio Regnicolarum fiat. Art. 19. Maritationes etiam Filiarum Regis cum Consilio Prælatorum, Baronum, et Nobilium Hungariæ fiendæ præscribuntur. Art. 24. Regia et Reginalis Majestas, ratione indebitæ occupationis Jurium possessinriorum, ac collationis eorundem aliis, in æstimatione talium Bonorum, ad instar aliorum Regnicolarum convincenda disponitur.*

Matthias I. Decreti sui 6. præfatione dicit: *De quolibet Comitatu electi Nobiles — Universum hoc Regnum representantes — pari, et unanimi omnium voluntate, Consilio, et Assensu condiderunt.*

Uladislaus Rex primo suo Decreto assecurat Status in Verbo Regio, fide Christiana, et sub honore, se sine Consensu Regnicolarum, nulla statuta laturum; neque fædera initurum, neque pacem in-

du-

ducias tractaturum. In reliquo Leges omnes per populum sibi propositas confirmat. Ejusdem Articulo 87. Tributa Regalia, et Regalia Status regularunt. Decr. 3. Art. 39. Data per Regem Libertas Civitati *Vissegrad*, tanquam Regni Libertati præjudicans abrogatur per Status. Ejusdem Ulad. Decr. 1. Art. 9. vetitum est Regi, ultra 100 Subditos alicui conferre sine Consilio Statuum Regni. Hæc constitutio vicissim facto Regni dispensata Decr. 3. 26. Articulo.

Quis non decernat ex his, æquum agere volens Judicem; Majestatem semper, penes Regem, ac Regnum simul resedisse. Quamvis Liberi Hungariæ Populi Jura, novercantia sæpe tempora lacefiverint, sæpe Provincia hæc illud a Regibus suis experiri coacta sit; adversus recte quod, iidem, victorum conventorum præsidio alias esse debeant. Sustentata nihilominus assidue sunt per populum privativa illa et fundamentalia Jura, continua ætatum ferie per resensus; quærelas reclamatorias, restabulatorias Leges.

Sic Andreas Hyerosol. præfatione sua dicit: *Quod cum Libertas tam Nobilium Regni Nostri, quam etiam aliorum, per aliquorum Regum potentiam, ulciscantium aliquando iram propriam, aliquando etiam attendentium Consilia falsa, hominum iniquorum; vel sectantium propria Lucra (qui morbus a potiori versatur in Aulis) fuerat in quam plurimis partibus diminuta &c. Ultro: Quia jam sæpius ad amaritudines non modicas est processum. Concedimus tam eis Libertatem a S. Stephano Rege concessam &c.*

Iteratis ejusmodi Cancellis, regulavit populus Hungariæ, Reges: *Ludovicos, Marias, Sigismundum, Albertos, Mathias*, in eo: Ne Jura Regni violentur; ut data promissa impleantur. Ideo *Matthias Decr. 6. §. 1. quasi recollectus statuit: Decere Reges,*

ges, *stabilium potius Institutorum vigore, quam absolute potentie severitate, Imperii sui habenas moderari.* Uladislaus Rex cavet in perpetuum: *se nullas prorsus novitates* (quemadmodum D. Mathias Rex fecerat) *contra antiquas Libertates, sub aliquo quaesito colore introducturum.*

Hungariæ Status, Ludovico 2. Leges præscripserunt directe; non ut vel Consensu ipsius eguissent in condendis Decretis. Imo administrationi etiam proventuum Regionum Thesaurarius præfectus est. Rex proinde Ufu fructuarius magis, quam directus Dominus Bonorum Coronaliū erat, Jure, Cura, Administrationis horum, per Regnum sibi vendicatis. Cujusmodi factō non ut Comunionem Jurium Majestaticorum; potestatem Legislatariam Statibus Hungariæ ereptam testarentur; verum documento sunt non solum Juris vivificati, sed etiam usus continuati. Quæ omnia cateroquin in Comitibus (vetustiori ætate Conciliis vocatis) semper vertebantur. Comitiorum porro vel constitutio, et necessitas ipso jam factō excludit *absolutam Monarchiam*. Cum negotiorum publicorum agendorum ratione, hæc cogi soleant, consequenter populus in partem Consilii, administrationis vocatus, habeat Jus mutuum disponendi, exequendi; non autem solus Rex, prout eatenus rationabiliter differit *Volfius Par. 3. Sec. 2. Cup. 2.* Acta namque publica Conventuum Regni hujus docent: Dictatas esse Leges, Socio Statuum Jure, tales, quæ rem Gubernii tangebant. Reges Limitibus circumscribant. Facta eorum sufferebant, Leges inquam *Sacras, Politicas, Militares, Æconomicas, Criminales, Dignitatum tam Ecclesiasticarum, quam Secularium Collationales.*

Ferdinandus I. jam *Habsburgico-Austriacus*, scandendo Solium Hungariæ, fide jurata semet obstrinxit: *Omnes Immunitates, Libertates, Jura, Privile-*  
le-

legia, et antiquas approbatas Consuetudines conservaturum. *Andree Regis Decreta uniuersa observaturum, omniaque illa facturum, quaecunque pro bono publico, honore, ac incremento omnium Statuum, et totius Regni Hungariæ iuste faciendum occurrerit.* Ne autem hæreditaria Regiminis Hungariæ, stirpi huic Austriacæ, hac occasione facta Delatio, vel cogitatione excitari possit, ad vendicandam quampiam *Absolutam Monarchiam*; statim subsequis Comitibus Anni 1536. Cancelli posteriores defixi sunt Ferdinando tenendi in Hungaria Guberniis sui, et quidem: *Articulo 1. injunctum est: Ne Majestas sua, sine scitu Consiliariorum suorum Hungarorum, tractatum pacis transigat.* Art. 2. *Ne in futurum liceat cuicumque stipendiario Militi, in Domibus Nobilium, et Personarum Ecclesiasticarum hospitari; qui vero comunem hanc, et quidem antiquam Patrie Libertatem violare præsumpserit, pena Capitis, et ammissionis Bonorum damnetur.* Illo in superpondium per Articulum 4. adjecto: *Quod si Capitaneus ad requisitionem Læsi, hoc in puncto, Jure animadvertere recusaverit, in Nota perpetuæ Infidelitatis condemnetur.* Art. 19. *Monetæ Valor reducitur.* Articulis 20. 22. 23. 24. 25. *Subsidium per Regnum offertur, regulatur.* 26. præscribitur quales debeant ad Militiam Equestrem admitti. 41. *Ne quis extra Regnum Juri stare cogatur.* 42. *Ut Majestas Bona, Beneficia, et Officia pure intraneis conferat, et ad instar Prædecessorum suorum Hungariæ Regum semet gerat.* 45. *Vectigalia Nova, et inconveta abolentur.* 57. *Regia Majestas in Regno maiere teneatur.* 60. *Fortalitia, que Statibus non placent, dejicienda disponentur.* Sub eodem Rege Ferdinando. Status Regni hujus, Comitibus sine Rege indicendo, ac tenendo Novizolii Anno 1542. Articulis 12. et 22. *Donationum Regiarum valorem in Jure, ac Judicio discutiendum ordinant.* Articulis 26.

27. 28. 29. *Contributionem disponunt. Articulo 30. Civitatibus quoque Regiis talem imponunt. Articulis 33. 34. 35. Bellandi normam statuunt. Art. 41. Monachos duos ex singulo Monasterio ad Castra ordinant. 42. 43. 44. Iterum normam belligerandi præscribunt. 45. Tricesimas per Regem in Locis inconsvetis ordinatas tollunt. 46. Tricesimas a Nobilibus exigi prohibent. Art. 48. Tricesimas Regi per aliquos occupatas, vicissim Regi remittendas disponunt. 49. Supremos Comites Comitatum, qui nondum juraverunt, Juramenti depositione obstringunt. 50. Huszaribus stipendium deputant; omnia denique illa, quæ formam, Jusque summi Imperii testantur, quippe de Armis, Dignitatibus, Clero, Regiis factis Bonis, et proventibus, quasi nec Regem habentes, particulari sua, et Diætatoria potestate decreverunt Status, et Ordines Hungariæ. Noviter in Diætâ Posoniensi Anni ejusdem. Articulis 28. 29. 30. 31. Palatinalem Dignitatem Judicaria augment potestate. Judices creant pro ratione causarum. 32. Prorogationes Regias, et Locumtenentis in causis factas, non observandas decernunt. 33. Civitatibus Regiis ac Liberis, ullo titulo Bona conferri vetant. 41. 42. Cancellariæ Regiæ, prout et Cancellario, Leges observationum dictantur. 44. Infideles Regni proscribuntur. 46. Inscriptiones per Regem factæ, Judicibus Regni discutiendæ subjiciuntur. Denuo Anno 1543. Articulo 8. Mariæ Reginæ, Copias alendi necessitas quoque imponitur. Articulo 27. Cufiores falsarum Monetarum puniuntur. Articulo 31. Cancellaria Regia frænatur, ne Literas, vel Mandata Legibus contraria expediat. Articulo 34. Constitutiones priorum Conventuum confirmantur. Hæc vero universa per Regem Ferdinandum, Pragæ 25. Januarii 1544. adprobantur. Demum Anno 1545. Articulo 16. Bonis possessionariis Regnantis onus alea-*

di Militis imponitur. Articulo 28. Tricesimæ Tributa regulantur. Articulo 33. Literæ Regis, aut Locumtenentis, Legibus Regni adversantes, in Judiciis rejiciendæ disponuntur. Articulo 41. Subsidium juxta conclusionem Statuum ordinantur. Articulo 42. Cum Regis Proventibus, pro arbitrio Regni Ordinum disponitur. Articulo 50. Camera Regiæ Instructio Normativa præscribitur. Articulo 51. Monetarum falsarum cursoribus pœna dictatur. Regnante, omnia pravia acceptante, imo in responsi sui §. 2. *Ingentes fidelibus suis Subditis agendo gratias; promittendoque: nihil indignum suæ æquitati, aut contra Decretum, et Libertatem, ac Ordinationem Regni, Statuumque, et Ordinum Constitutionem publicam — aut Literis, aut Verbo se mandaturum.*

Subsequis Annis: 1546. 1547. 1548. 1550. 1552. 1553. 1554. 1555. 1556. 1557. 1559. 1560. 1563. Sub Regimine antelati Ferdinandi, ordinatis Comitibus, similia præcedentibus statuebantur. Juraque, qualia sint, desigebantur. Libertates veteres confirmabantur, restabiebantur. Quæ sub hoc Regnante, per Status Regni oblata erant, puram gratuiti semper formam referebant.

Maximiliano Rege Patri succedente, æquales prioribus Sanctiones condebantur, in Annis 1566. 1567. 1569. 1572. 1574. et 1575. quas omnes Rex confirmavit, et tam se observaturum, quam alios universos, observari facturum, in verbo Regio obligavit. Volens Rex iste Indigenatum conferre Alberto Lászky, Regnicolas quærere debuit, ut in collationem hanc consentiant: qui etiam Articulo 18. 1575. §. In gratiam Majestatis Cæsareæ, ac serenissimorum Principum Rudolphi — pro hac sola vice collationem hanc Indigenatus validam declararunt. Subsidium Statibus non præceptorie dictavit, sed svadendo, et sollicitando.

Rudolphus, capeffens Regimen Hungariæ, volendoque Carolum, et Ernestum Archi-Duces pro Vices Gerentibus habere, apud Regnum hoc impetrare debuit, quod etiam Status acceptarunt testante Art. 15. cum cautela tamen illa: *Ne quid sequatur inconueniens, et Libertati Regni contrarium.* Anno 1582. Articulo 1. et 8. *Damnosa introductiones, et abusus Libertates obfuscentes*, abolentur. Successive Annis 1583. et 1588. æqualia disponuntur. Subsidia offeruntur. Articulo 4. Modus administrandi proventus Regios ordinatur, Cameræ Hungariæ autoritas defertur. Articulo 11. læsarum Libertatum restitutio statuitur. Art. 47. Ovariensia Regis Bona contributioni subijciuntur. Anno 1593. Art. 22. *Georgius Debretzény* in Nota infidelitatis per Status Regni condemnatur. Vicissim Anni 1588. Art. 48. eundem Ordines Hungariæ, et quidem ad interpositionem Regnantis absolvunt. Art. 23. ad requisitionem Regis, Indigenatum *Davidi Ungnad* Comitia Regni conferunt, et ab eodem Juramentum exigunt. Anno 1595. Art. 2. Expeditio Regni per Status disponitur. Art. 3. Majores Militum vires constituuntur cum cautela tamen: *quatenus prærogativa eorum salva remaneat, et pro hac vice: ratione Jobbagyionum, et Dominorum Terestrium Subsidium æque arbitrarium decernitur.* Art. 4. Bona Regis omnibus his oneribus subijciuntur. Art. 5. 6. Nobiles possessionati, Armalistæ armati, prædiales, alique taxantur, juxta Statuum arbitrium. Anno 1596. Art. 6. Subsidium Regnicolæ ex propria quidem crumena offerunt, sed cum clausula: *Salva remanente Nobilitatis antiqua prærogativa, et pro hac vice tantum ad reprimendam (ut Articulus 1. innuit) perfidi, trunculentique hostis rabiem pro Patria (Articulo 2. teste) vita cariore.* Art. 60. Negotium Confoederationis Poloniæ cum Consilio

Hungarico tractandum, et superandum præcipitur, certis etiam subjectis ad id denominatis. Articulo vicissim 61. ad intercessionem, et comendationem Regis, Indigenatus confertur. Anno 1597. Art. 3. Subsidium decernitur, *et hinc oneri ferendo tam suæ Majestatis omnia Bona, quam vero omnes alii Regnicole* (quantum Colonos eorundem nempe concernit) subjiuntur. Articulo 34. Pro Metarum Regni rectificatione denominantur Hungari Deputati. Articulo 43. decernitur: ut Hungarus per Hungaros tantum Judices, Germanus vero per Germanos, judicetur. Anno 1598. Articulo 4. *Denuo Subsidium de singulis Domibus tam colonialibus, quam ingulinaris, aliisque in modum Curiarum Nobilitarium non exstructis (demptis allodiatis) offertur; cum illa speciali §. 4. cautela: quod Domorum connumeratio, hæcenus in Hungaria in usu unquam fuerit, salvis antiquis Libertatibus, et Consuetudinibus permanentibus. Ne igitur §. 5. Hæc Domorum connumeratio, post hac ullo tempore in usum veniat.* Articulo 21. caverunt Status: *Ne Statum de Generalis Insurrectionis annuentia, in usum ullo unquam tempore veniat, sed ea pro presenti duntaxat vice, et Anno facta esse intelligatur.* Art. porro 20. Personalem Insurrectionem personali pure Regis æque Insurrectioni alligant.

Quantumvis Insurrectio Regnicolaris, a primæ Hungariæ Exordio, inde ab Almo Duce in Terris his cœpta, originem, usumque continuum habuerit. Nihilominus in Regno hoc, illico cessavit Insurrectio, qua *Obligativum* Statuum; quamprimum: *Bona Coronalia* cessa sunt Regi; Non secus *Lucrum Camere*, quæ pro speciali, ac ordinario Regis Hungariæ proventu statuuntur Articulo 9. 1563. Sed mansit res, qua pure *Arbitraria* in Regno, quæ tamen crebrius per Status, exigentibus Patriæ suæ circumstantiis facta est. Ne tamen actus iste Insur-

surrectionis præstitæ, malam consequentiam obligationis indicatur, præcautio posita est in sequentibus Dispositionibus.

Articulo 5. 1599. Renovatum habetur : *Ne Miles in Domibus Magnatum, Nobilium, et Ecclesiasticarum Personarum condescendat.* Art. 6. Subsidium oblatum. Art. 13. Oblationi sese opponentes, partim in pœna sexdupli, partim in pœna Capitali condemnati. Art. 19. *Ne miles hungarus Juramento quopiam, præter morem Patrie obstringatur.* Articulo 24. rationes a Perceptoribus, et Cameris exigendi, modus desigatur. Art. 31. præcipitur : *ut Bona Hungarica nunquam extraneis conferantur, ideo: quod Jurium Regni, et obligationum incapaces sint, sed bene meritis Indigenis tribuantur.*

Articulo 3. 1600. Denuo Subsidium offertur Denariorum 50, ea conditione: ne Taxæ Nobilium ad Cameram dentur. *Ut ea in parte Nobilitatis prærogativa non violetur, pro hac sola vice — ne deinceps ullo unquam tempore, in consuetudinem talis Dicæ exactio veniat; aut hic Articulus pro exemplo aliquando, allegetur.* Videas hic Hungare providissimorum Majorum tuorum procul aspicientem speculam.

Articulo 2. 1601. Noviter Subsidium, tam a Colonis exigendum, quam per DD. Terrestres præstandum decernitur, illa tamen solenni sub cautela: *Ne hoc per D. Terrestres: Nobilitatemque præstandum Subsidium, in præjudicium prærogativæ Nobilitaris, ullo unquam tempore vergat.* Articulo 17. Evectio frugum omnis speciæi, ac victualium e Regno vetatur. Art. 26. Prohibetur ultro Militum ad Domos Nobilium condescensio. Art. 33. ad Tabulam Regiam denominantur Assessores. Art. 35. adversus Capitaneos Militiæ excedentes, dictatur sententia capitalis. Rege Hungariæ omnia hæc vicissim confirmante, ad univerforum observationem semet reciproco Vinculo ligante.

Articulo 9. 1602. Cum personalis Statuum Insurrectio pro temporum illorum circumstantiis, pro non utili deprehensa sit futura, Denariis 150, quos Coloni contribuunt, Denarii 50, sunt super additi, quatenus ergo facto hoc, Status ab Insurrectione liberentur, addito præterea a singulis 20 Domibus, uno Equite levis armaturæ, a singulis autem 20 Domibus Curiarum Nobilitarium Inquilinos habentium uno Equite bene Armis instructo. Denique Art. 13. pro confiniorum reparationibus resolutis gratuitis laboribus. Quæ omnia sub Diætâ Anni 1603. et 1604. simili methodo ulterius statuta habentur.

Anno 1606. Surgit pacificatio Viennensis inter *Rudolphum 2. ac Stephanum Bochkay de Kiff-Maria*, et statim cum principio hujus, tollitur Articulus 22. et ultimus Diætæ præcedentis 1604. tanquam extra Diætâ, et sine Consensu Regnicolarum adjectus cæteris Legibus. Exemplum proinde hic statutum: Legem extra Diætâ, citraque assensum Regni Statuum prodeuntem, vigorem nullum habere.

Anno 1608. ante Coronationem Art. 1. statim reformatur res antea statuta in negotio Religionis, per abolitum jam Art. 22. 1604. Art. 2. Pacificatio cum Turcis inita *Regno toti refertur*. Unaque statuitur: *Ne liceat Regi sine præscitu, et Consensu Regni, ullum, vel Bellum movere; vel Militem extraneum ad Hungariam, ipsiusque partes annexas introducere.* Art. 3. semel pro semper ordinatur: ut officium Palatini *nunquam ultra Annum vacare possit; sed respectu eligendi Novi Palatini, intra Anni revolutionem Diætâ indicatur; si autem hoc Rex facere noller, Judex Curie, vel hoc non existente, Nagister Tavernicorum, eatenus præfigant Diætâ sub Amissione Honois, et Officiorum.* Art.

titulo 4. reducitur ad Regnum Corona, et Nativis Hungaris conservanda attribuitur. Art. 5. Regni Theſaurarius per Regni Status conſtituitur Indigena, atque deinceps, ne exteræ Nationes ſemet in aliquos Regni proventus ingerant, præcavetur. Neve Theſaurarius iſte a *Camera Auſtica*, vel *Auſtriacâ* ullam dependentiam habeat. Art. 6. decernitur: *Ne Epifcopi*, qui reſidentias ſuas Epifcopales, in ſuis Eccleſiis, vel Jura poſſeſſionaria Epifcopalia ſua, in Regno hoc non habuerint, *ad Conſilia admittantur*. *Ne Rex ſine Conſilio Hungarico*, qualia cunque demum *Oppida libertet*, ac iisdem *Bona quæpiam conferat*, juxta antiquas Regni conſtitutiones, et poſtremo Ferdinandi Anni 1542. 33. *ullo ſub prætextu*. Art. 9. præſcribitur Regi; quatenus nullas integrum ſit eidem Donationes facere, vel Inſcriptiones, niſi in Cancellaria Hungarica emanent, ſub pœna nullitatis, prout et Donationes aliquas conferre cum clauſulis, contra antiquas Regni conſuetudines. Art. 10. Injunctum Regi: *Ne ulla negotia res Hungaricas concernentes, ſine prævio Conſilio Hungarico, ac per Hungaros tractare integrum ſit*. Art. 11. Conſiniorum præfecturæ, ac Capitaneatus, pure Hungaris, in Regno poſſeſſionatis, ut conferantur, præſcriptum eſt. Art. 13. ſtatuitur: *Ut Hungaris in Civitatibus Regiis, etiam Montanis, Domos emere, ibidemque velut in Patria propria munia omnia exercere liceat*. Art. 13. *Ut Rex Hungariæ in Regno habitet, decernitur*. Iſtud crebro diſponebatur per Hungaros ideo: *Ut Regnans reſideat in Hungaria, velut Provincia ſui Regiminis principaſſi, adeoque digniſſima*. *Ut Mores, Indolem, Linguagium Gentis hujus propria ſibi reddat*. *Ne per ignorantes, Statum Regni hujus internum ſibi ignotum habentes; Invidosque Hungariæ homines, peſſimis contra Regnum iſtud Conſi-*

liis imbuatur. Art. 19. Germani, et alii Extranei, ex possessorio Arcium: *Muran*, ac *Lipchie* depositis Inscriptionibus, amovendi disponuntur.

Post Coronationem Art. 10. Monetæ Hungari-  
cæ valor, etiam in vicinis Regnis, ac Provinciis, sine omni detrimento acceptandus præscribitur. Articulo 13. Regnotenus statuitur ablicenciatio Colonorum ulterius observanda, vel non; per Comitatus Regni hujus, prout cui visum fuerit. Art. 14. Dica a singula porta offertur, ea conditione: ut *Dicatio ad Manus Thesaurarii Regni veniat, et præ-  
sente tantum Anno fiat.* Art. 19. Transactio cum Principatu Transylvaniæ inita, in Comitibus Regni refertur, discussa confirmatur. Art. 20. Militia excedens per Palatinum Regni puniendi præcipitur. Art. 21. Factum Camerae, ac Fisci Regii, adjudicatoriæque Regis penes certam sententiam Viennæ latam, contra Stephanum Illeshazy, in Diata Statuum cassantur. Art. 24. per Status Regni, Articulus Anni 1600. 23. contra Georgium Homonay latus cassatur. Art. 27. Indigenatus Carolo, et Maximiliano Lichtenstein, ad commendationem Regis, per Status confertur.

Articulus 7. 1609. Injungit Mathiæ 2. Regi, assumptorum in se Debitorum contentationem. Articulo 11. Stipendia Militum ad antiquum Ordinem rediguntur. Art. 16. 17. de Tricesimarum exactio-  
ne, ac regula constituitur. Art. 24. præscribitur: quibus Tricesimarum Officia, Præfecturæ, ac Capitaneatus conferri debeant; prout et Armales quilibus Personis. 33. Art. 34. restaurantur Libera-  
rum, et Montanarum Civitatum Libertates. Art. 42. Confæderatio cum *utraque Austria*, prout et *Moravia*, per Regem Mathiam 2. facta, in Comitibus confirmatur. 43. Officium Judicis in Civitati-  
bus, citra discrimen Religionis, et Nationis confe-

rendum præcipitur. 48. Aurum, Argentum, Metallum non cufum e Regno evehi vetatur. 51. Disponitur: ut extranei in Cæstum Hungarorum recepti, certam Summam pecuniariam in medium Regni quotannis solvant, juxta Limitationem Thefaurarii. Art. 54. Mineræ, ac Fodinæ Regni a modernis Possessoribus liberandæ constituuntur, et proventibus Regiis adlegandæ. Art. 55. præcipitur: Nobiles Confiniarii in suis Libertatibus conserventur. Art. 61. Arcis Thokay, aliorumque Confiniorum Regni restauratio præscribitur. Art. 62. Nova portarum connumeratio instituitur, ac ad duos pure Annos duratura decernitur, prout et Articulo 63. De qualiter exigendis restantiis Contributionum Annorum præteritorum disponitur. Art. 65. De methodo celeris Insurrectionis ordinatur. Art. 66. conferendi potestas Bona<sup>3</sup>, usque ad 32 Colonos integræ Sessionis defertur Regni Palatino. Art. 68. De ordinandis, ac mittendis Legatis, ad vicinas Provincias dispositio fit Regni colariter. Art. 69. Decretorum Regni correctio, per Palatinum instituenda præcipitur. Art. 70. Judicia Regni, tam Brevia, quam Octavalia restatuuntur. Art. 71. Episcopus Varadiensis, Nicolaus Macarius, ad requisitionem Regis, per Status Regni ab exilio immunis declaratur. Articulis 72. 73. 74. Taxæ Majoris Cancellariæ, Capitulorum, ac Conventuum decernuntur. Anno 1613. æquales conduntur prioribus Leges.

Anni 1618. Articulo 2. Pacis observatio cum Turca ad Vicennium decernitur, cum pœna contra hujus transgressores Articulo quoque subsequo 3. statuta. Art. 4. Palatini authoritas vindicatur. Art. 5. Croata pro Indigenis Regni declarantur. Art. 9. Oppignorata ad Austriam Bona, Articulo 10. redemptio Arcis Lubló, cum tredecim Oppidis

dis Scepusiensibus præcipitur. Art. 13. et 14. Cur-  
 fus Juris processualis stabilitur, Mandata omnia  
 hunc turbantia pro illegitimis, et inefficacibus sta-  
 tuuntur. Art. 15. Leges de Thesaurario Regni re-  
 novantur. Art. 17. Telonia sicca. Art. 18. Tri-  
 cesimæ Filiales tolluntur. Art. 19. Monetæ Liga  
 determinatur. Art. 27. Civitatibus Regiis, Mon-  
 tanis, item Oppidis privilegiatis Libertates red-  
 duntur. Art. 28. *Ne additamenta, aut diminutiones  
 Constitutionibus, seu Articulis Status, et Ordines sue  
 Majestati pro Confirmatione porrectis, aut porrigendis  
 committatur, prohibetur.* Exemplum hic clarum est  
 vindicatæ, Regno quoque competentis Legislativæ  
 potestatis. Art. 33. Ne Capitanei Militares in Ju-  
 risdictionem DD. Terestrium semet immittant, ve-  
 tatur. Art. 37. Disponitur Legatio ad Portam Ot-  
 tomanicam, expediturque Orator Hungarus. 50.  
 Bona Regiæ Majestatis præstandis æque gratuiti la-  
 boribus subjiciuntur. 51. Exactionem gratuitorum  
 ejusmodi laborum Palatino deffert. 55. Vetatur  
 eductio extra Regnum pulveris tormentarii, et fa-  
 lis Nitri. 56. Modus observandæ tam generalis, quam  
 particularis Insurrectionis Regni præscribitur. 58. Ec-  
 clesiasticæ Personæ, ac Nobiles fugitivi, in Confiniis  
 Domos aquirentes, et ementes, ab omni condescen-  
 sione Militum cujuscunque Ordinis, et Nationis  
 immunes dicuntur. *Testimonium hic est radicalis Re-  
 gni hujus principii: quod persona fundum nobilitet, ac  
 quod oris nunquam fundo inherere possit, salvus enim  
 et exemptus esse debet, quamprimum per Nobilem pos-  
 fidetur, quia venit ad Manus Nobiles.* 59. Servito-  
 res, ac subditi in Dominorum suorum negotiis pro-  
 ficifcentes, ubique in Telonis, et Naulis pro im-  
 munibus declarantur. Articulis 60. 61. 62. 63. 64.  
 65. 66. 67. 68. 69. 70. conduntur Leges judiciales,  
 pro Civilibus, Criminalibus, Sedium Spiritualium  
 Tri-

Tribunalibus, quæ omnia sine additamento, aut diminutione aliquali Regis, statuta fuere.

Ferdinando 2. Rege facto Hungariæ, ad singularem Prædecessoris Mathiæ 2. Statibus Comendationem, celebratæ Diætæ Anni 1622. Articulo 2. §. 5. recognoscit: *semet juxta consuetudinem, et Libertatem Statuum Regni, semper observatam, erga requisitionem Mathiæ Regis (ut §. præcedenti 4. Ionat) paribus Votis, et unanimi Consensu in Regem electum fuisse.* §. 7. *Universas, et singulas Regni Libertates, Immunitates, Privilegia, Statuta, firmiter, et sancte observandas tam per se, quam per alios obligat sub Verbo Regio.* §. 12. *Negotium Religionis liberum illæsum, et illibatum manere decernitur.* §. 16. *Coronæ Regni, ex Hungaria ablatio, vel auferri dispositio nulla ex causa, vel quæsito colore, nulla etiam industria, vel arte permittitur.* §. 17. *Metæ Regni non abalienandæ, imo differentiæ componendæ præcipiuntur.* §. 18. *Fœdera servanda disponuntur.* Subseque Art. 20. *Regnum ipsum Rebellibus, ac pacem publicam turbantibus pœnam dictat Notæ Infidelitatis.* 21. *Insurrectionis modus ordinatur, usque futuram pure Diætam duraturus.* 24. *Intuitu Gubernationis rerum Hungaricarum, et proventuum Regni administrationis disponitur, ac ne proventus Regii ad Cameram Austriacam, sed Hungaricam Posoniensem administrantur, præcipitur.* 26. *Pax cum Vicinis stabilitur, et colenda decernitur.* 29. *Gabrieli Betlehem Principi Transylvaniæ septem Comitatus Regni ceduntur.* Art. 40. *Beneficium excoquendi, ac incommodum Regni publicum convertendi salis Nitri disponitur.* 46. *De Mineris, et Fodinis ordinationes fiunt.* 59. *De Donationum Regiarum formis, quæ vim habeant.* 60. *De Fassionum perenalium firmitate.* 64. *De malefactoribus qualiter coercendis.* 68. *De excluditione Tricesimæ Regiæ, vectura Salis, et prætil*

Limitatione. 76. Univerſa Acta Regnum Hungariæ concernentia, ſeu illa, Pacificationes, ſeu Limitum accomodationes concernebant, cum quibus cunque exteris, Palatinus Regni ſemper quod conſervaverit, non Rex probatur. Art. 77. De valore curſu, et uſione Monetæ Leges dictantur.

Anno 1625. Art. 3. Electus fuit per Status Regni in Hungariæ Regem Ferdinandus 3. Ferdinandi 2. filius, vivente adhuc Patre ſuo, in Diæta Sopronienſi 1. Ideo ne Status Interregni, pericula viciffim multa cauſet Regno. 2. Quod ob ſingularem plane manſuetudinem, ſapientiam, Regiamque Indolem, digniorem viderint Solio, altero filio Leopoldo Vilhelmo. Art. 4. Per Status Regni dictatur poena in non obſervatores Mandatorum Regionum. Art. 7. Comendatur Regi, ut ſubſidia pro conſervandis Confiniis Hungariæ, tam ex Ærario ſuo privato, quam vicinarum Provinciarum conferat. Art. 8. Dica, ſeu Contributio a ſingula Porta fl. 3. pro biennio duntaxat noviter conſtituitur. Articulo 10. Generalis, et particularis Inſurrectio confirmatur. Art. 11. Contributio Subſidii Annonarii pro hac duntaxat vice benevole decernitur. Latis plurimis aliis quoad Jura Majeſtatica, et præcedaneis ſimilibus Legibus.

Anno 1630. Articulo 2. ad Confinia Hungariæ, prout et Banalia Colapiana luſtranda Commiſſarii ordinantur. Art. 3. ad reparationem Confiniorum, gratuitorum laborum Limitatio conſtituitur. Art. 4. De Militum Præſidiariorum complendo Numero, et exolvendis eorundem ſtipendiis ordines ſunt. Art. 5. Dica, et Contributio pro hoc duntaxat Anno deſigitur. Art. 7. Subſidium Annonarium pro hac unica tantum vice offertur. Art. 8. Pulveris Tormentarii cura, et augmentum præſcribitur, Salis Nitri e Regno evecctio prohibetur.

Ar-

Articulo 3. De Moneta Hungarica per totum Regnum, et vicinas quoque Provincias acceptanda.

Art. 17. Nobiles Regni immunes a solutione Tricesimarum, ac Teloniorum in vicinis Provinciis ultro declarantur. Art. 21. Civitatum Regiarum, et Montanarum Privilegia restabiliuntur. Art. 24.

Pro negotio Valachorum in Sclavonia, et Croatia peragendo, Hungari Commissarii denominantur. Articulo 26. Legatio ordinatur per Status Regni ad Regem Poloniae. Art. 29. Ut in Aula Regis, semper duo Consiliarii Hungari servantur, praescribitur.

Art. 30. Modus Nobilitationis, et Indigenatus statuitur. Art. 36. ordinatur: quatenus ad omnes Legationes seu *Portae Ottomanicae*, seu alias *Particulares* Hungari destinantur. Art. 37. Miles conductitrus, et campestris ad Praesidia recluditur, ne seu disciplinae obliviscatur, seu quoad Stipendia excedat.

Art. 45. Celebratio Judiciorum Octavarium tam Generalium, quam Brevium ordinatur.

Anno 1635. Articulo 1. Dica, seu Contributio in duos Annos destinatur, ac modus exigendi constituitur. Art. 2. Annonarium Subsidium pro Biennio decernitur. Art. 5. Expensae in usus diversarum Commissionum per Regnum, ad *Austriam*, *Poloniam*, aliasque vicinas Provincias decretarum, ordinantur. Art. 6. 7. Arcis *Pozsoniensis*, et Praesidii *Erfek-Ujvariensis* restauratio ordinatur. Art. 9. Proventuum Reginum, ac Regni Exactores, dandis rationibus subjiciuntur. Art. 10. Qualiter in Militum conscriptione, et conductione Modus observandus sit, disponitur. Art. 12. Processus Judiciarius, pro Judiciis defigitur, ita etiam Art. 13. 14. 15. 16. 17. Art. 18. decernitur: Leges, et Statuta condendi auctoritatem pure penes Regem, ac Regnum residere. Art. 22. Privilegia Civitatibus, Vina in *Poloniam* absque Tricesima vendendi concessa, per Regnum cassantur. Art. 27.

Modus Legationis ad *Portam Ottomanicam* renovatur. Art. 36. Nobiles Capitaneatus Crisientis, coloniali conditioni subjugatos, pristinae Libertati restituantur. Art. 39. Capitanei, et Officiales Confinarii Regis, Legibus Regni subjiuntur. Art. 40. Data per Regem Valachis Privilegia, per Status Regni annihilantur. 46. Personae Ecclesiasticae, ac Nobilitares a condescensione Militum in Confiniis, ultro immunes declarantur. Art. 69. Cusio Monetae Minoris in Majori Quantitate decernitur. Art. 79. Ut Regales pro Diata invitatoriae maturius expediantur, et Diatae Pofonii celebrentur, decernitur. Art. 83. Siccarios Regnum puniendos decernit. 84. Principi Transylvaniae *Georgio Rakoczy* Status facultatem dant sub Nomine suo, pro, ac Conthorali sua, ratione negotiorum in hoc Regno vertentium procuratorias Literas constituendi. Art. 86. Vice-Comitem, ac alios Judices Comitatus Trenchinienfis a poena infamiae Regnum absolvit. Art. 88. Modus Generalis, et Particularis Infurrectionis renovatur. Art. 92. Limitantur Gratuiti Labores. 94. Diatae quovis Triennio celebrandae ordinantur.

Ferdinando 3. Regimini admoto, vi Articuli I. 1638. *per proprium, spontaneumque Regnicolarum motum, juxta veterem Consuetudinem semper observatam paribus Votis, et unanimi Consensu, rite, ac libere electo*, universae Libertates Regni noviter, ac diplomaticae confirmatae habentur, ac in Verbo Regio observandae pactatae. Art. 3. Solennis Legatio ad *Portam Ottomanicam* disponitur. Art. 5. Dicae ad Biennium imponuntur. Militiae Hungaricae auctio disponitur. Art. 26. Nobiles ex Bonis *Echéd* possidentes per Eiscum Regium evocati Pofonium, ad Jus extraordinarium, a comparitione fienda, per Status simpliciter absolvuntur. Art. 30. Limites praescribuntur.

buntur *Literarum protectionalium*, et ut Legibus Regni conformes sint, decernitur. Art. 33. Limitatur Rex, ne officium supremi Comitum minorennibus, in Comitatu Bona non habentibus conferatur. 39. Legatio in *Poloniam* disponitur. 40. Controversia Metarum inter Hungariam, et Transylvaniam per Hungaros Commissarios sopienda disponitur. 42. Commissio ordinatur Hungarica, quoad Limites Regni versus *Mare Adriaticum* conservandos. 44. Confinarii Ecclesiastici, et Nobiles, denuo a militari quarterio immunes redduntur. Leges hic præterea, de materiis in præsentibus Comitibus allatis, noviter similes prioribus feruntur.

Anno 1647. Articulo 2. Status Hungariæ, *Interregni perniciem præoccupaturi, Ferdinandum 4. Filium prioris, sponte, ac libere, votoque unanimi, ac Consensu eligunt Regem, coronantque.* Articulo 5. Diplomate speciali sancita sunt sequentia: 1) ut omnis in Libero, ac Publico Religionis exercitio permittatur, *propter Animorum unionem, ac Regni tranquillitatem.* 2) Decretum Andreæ Regis, per Ludovicum I. cæteroquin confirmatum, ultro stabilitur. 3) Ut Miles extraneus e Regno educatur. 4) Ut Negotia omnia Hungariam respicientia cum Porta Ottomanica, vel aliis Nationibus, per Nativos Hungaros tractentur. 5) Ut Dixta iterum cum effluxu Triennii celebretur. 6) Cassantur, annihilanturque omnes collationes Bonorum, per Regem aut Palatinum præteritorum disturbiorum tempore factæ quibuscunque, Bonaque suis prioribus possessoribus reddenda decernuntur per Status. *Quæ omnia sub Verbo Regio, fide Christiana observanda Rex obligat tam quoad se, quam universos Successores suos Legitimos scilicet Hungariæ Reges.* Articulo 17. prohibetur abalienatio Bonorum secularium personis Ecclesiasticis fienda. Art. 20. Principi Tran-

Transylvaniae *Georgio Rákoczy* septem Comitatus integros cedunt, et accordant Regni Status. Art. 21. Regnum vetat in futurum: ne integrum sit Regi, vel Successoribus ejusdem, Comitatus Regni; aut privatorum Dominorum Arces, ac Dominia alicui concedere. Art. 22. Tribunal Sedis Dominialis contra Personas Nobiles, respectu facultatum in Gremio alicujus Ecclesiasticæ; aut Magnatis Personæ, Denique Terrestris habitarum, vindicatum tollitur. Art. 57. Ordo Juris, ac Justitiæ administrandæ in partibus quoque Regni Maritimis per Status ordinatur. Art. 72. Legatio in *Poloniam* disponitur. Art. 74. Legati ad *Portam Ottomanicam* decernuntur. Art. 98. Limitatus est Rex: ne plura Beneficia Ecclesiastica uni personæ conferat, et hoc semper personæ Indigenæ. Art. 118. Status Regni, protectionales Oppidanis Késmarkiensibus per Regem datas contra Jura Stephani Tököly, pro cassatis decernunt. Art. 122. Donationes Regis cum insolitis, ac Regni Legibus haud conformibus clausulis abrogantur. 137. Mandata illegitima, non observanda statuuntur. Art. 144. Interesse sex pro centum a mutuo dandis pecuniis, acceptari valens, Regnum decernit. Art. 146. Ministrorum inutilium numerus in Camera Regis imminuendus statuitur. Art. 147. Literæ adjudicatoriæ per formam cujuscumque externi Judicii *Standt-Recht* vocati, per Regem extradatæ, ad Instantiam *Balthasaris Lengyel* contra *Franciscum Balassa* quoad Capitaneatum Gyarmathiensem, cassantur Diætaliter. Art. 154. Diæta quovis Triennio celebranda precipitur.

Anno 1649. Art. 3. Status Regni, loco Dicalium solutionum, certum Numerum Equestris, ac Pedestris Militiæ offerunt Regnanti. Art. 7. Legatio instruitur ad *Portam Ottomanicam*, et simul dispo-

disponitur, quatenus unus residens semper Hungarus Cæsareo adjungatur. Et quandocunque ex Regno Legatio ad Portam Ottomanicarum expedienda veniet, aut inde Legatus comparuerit, semper cum scitu Comitum Palatini negotium fiat. Art. 8. Instructiones Capitaneis Regni, semper Legibus Hungariæ conformes dandæ comittuntur; in Consilio Bellico duo semper Hungari adhibeantur. Art. 9. Vacantia Officia Capitaneatum ut semper ex Consilio Hungarico, et Generalium conferantur ordinatum. Art. 10. Leges Religionarias restabit, prout et 11. 12. Art. 13. Civitates Vicinarum Provinciarum a solutione Tricesimæ immunes per Regnum declarantur, dum Merces ad Hungariam inducunt, et hinc educunt. Art. 14. Contradictiones Fiscii Regii, et Civitatum, adversus Leges præteritæ Diætæ interpositas cassat Regnum. Art. 16. Caducitates Civium non Fisco Regio, verum Civitatensi addicuntur. Art. 27. Legatio ad *Poloniam* disponitur. Art. 33. Ut Regna *Croatia*, et *Sclavonia*, in suis Libertatibus conserventur, Status decernunt. Art. 36. Ut Miles Germanus ex *Arce Varasdiensi* educatur, præscribitur. Art. 39. Oppidum *Köszegb.* Art. 40. *Kiss-Márton* in Catum reliquarum Civitatum Liberarum ponunt Status. Art. 42. præcavetur: ne Regnicolæ per commissionalia Judicia inviti graventur, extra solitum Juris processum. Art. 45. cassantur, et pro invalidis declarantur, omnia Privilegia quibuscunque Pagis, Oppidis, Colonis, citra scitum, et commendationem DD. Terrestrium, per Regem danda. Art. 47. Cusio Monetæ Auri committitur, evecctio Auri et Argenti e Regno vetatur. Art. 92. Victualium, ac rerum venalium præctium limitatur.

Anno 1655. Articulo 2. *Leopoldum*, filium *Ferdinandi* 3. Status Regni, *unanimes Voto*, et *Consensu*

F

spon-

*sponte, ac libere Regem eligunt, ac post acceptatas*  
*Conditiones rite, legitimeque coronant. Art. 4.*  
*Subsidium mediæ Tricesimæ offert Regnum usque*  
*ad futuram Diætam. Art. 5. Loco Dicalium Con-*  
*tributionum offerunt Status certum numerum Equi-*  
*tum, ac Peditum. Art. 6. Tres Domos Annona-*  
*rias Regnum ordinat. Art. 9. Modus solutionis*  
*Stipendiorum Militarium defigitur. Art. 12. Mi-*  
*litis veterani numerus augetur. Art. 17. Lega-*  
*tio ad Comitata Imperialia ordinatur. Art. 19. Miles*  
*extraneus educendus, neque sine Consensu Re-*  
*gni inducendus præcipitur. Art. 26. Jus Gratiæ*  
*dandæ per Regem malefactoribus, limitat Regnum.*  
*Art. 31. Mensuræ aridorum, et Liquidorum de-*  
*terminantur. Art. 35. Prohibetur præcium Bono-*  
*rum, e Regno educendum. Art. 36. Modus No-*  
*bilitationis, et publicationis hujus præscribitur.*  
*Art. 49. Diætæ singulo Triennio celebranda ordi-*  
*natur. Art. 50. Residens unus Hungarus apud*  
*Portam Ottomanicam constituitur; Legatio ut eor-*  
*um semper fiat cum Palatini, ac Consiliariorum*  
*Hungaricorum scitu, præcipitur. Art. 51. Ordo*  
*Judiciorum celebrandorum disponitur, Judices*  
*constituuntur. Art. 53. Mandata illegitima cassan-*  
*tur. Art. 65. Késmark, et Brezno-Bánya crea-*  
*tur in Civitates Regias per Status. Art. 73. Pro-*  
*visio Militum Colapianorum, Banalium, atque pul-*  
*veris tormentarii, aliarumque munitionum Belli-*  
*carum Regi imponitur. Art. 76. Rebelles Russi-*  
*ci, qualiter puniendi, Regnum ordinat. Art. 80.*  
*Valor Monetæ, ac Cursus determinatur. Art. 90.*  
*Impetratio, et Collatio facta per Regem, Judi-*  
*cio Palatini alteranda committitur, quoad nego-*  
*tium familiæ Czobór in Bonis Arcium *Holics*, et*  
**Sáffin*. Art. 101. delegat Judices Regnum in Ca-*  
*su extraordinario. Art. 103. Sigillum authenti-*  
cum

cum dat Regnum Conventui *de Lelesz*. Art. 118. et 119. ad commendationem Regis, Status Regni Indigenatum conferunt compluribus extraneis.

Leopoldo Regimen Hungariæ capeffente, Anno 1659. Univerfæ Libertates, ac Leges Regni hucdum latæ, in Verbo Regio fervandæ obligantur. Art. 4. Præfidia errigenda quæpiam, alia fortificanda ordinantur. Art. 6. Decernunt Status Subsidium annonarium in erigendis Domibus annonariis deponendum. Art. 7. Norma Infurrectionis defigitur. Art. 8. Status Regni loco Dicalis Contributionis, certum numerum Militum, et Subsidium Militare ad Biennium difponunt. Art. 11. Regnum tredecim Oppidanos, ad Contributionem obligant. Art. 14. De Residente Hungaro ad Portam Ottomanicam, et rerum Hungariæ, per Legatos Hungaros tractanda manipulatio præcipitur. Art. 22. Centum quinquaginta millia pedum ordinat Regnum, quo tuitione paffuum *Nitriensis, et Barfiensis Comitatum adverfus Turcas*. 25. Miles Extraneus intra Triennium e Regno educendus difponitur. Art. 26. Legatio ad *Poloniam* difponitur. Art. 29. Legatorum Turcicorum euntium, et redeuntium vecturam, et intertentionem Camerae Aulicæ injungit Regnum. Art. 38. Imponitur Regi, ut Officia, Beneficiaque Ecclesiastica, Nationalibus pure, iisque benemeritis Perfonis gratis conferre femper teneatur, nullo autem modo Extraneis. Art. 41. Judicia Octavalia Brevia, et Extraordinaria celebranda ordinantur. Diurna, Salariumque Judicum, ex Camera Regia folvendum præfcribitur. Art. 45. Mandatorum illegitimorum expeditio vetatur. Art. 46. Judicatus Camerae tollitur. Art. 48. Officiales Fodinarum, et Minerarum, ac Urbarii Regis, Legibus Regni, ac Judicatu Comitatenfi fubjiciuntur.

tur. Art. 49. Indigenis Regni in Liberis, Montanis Civitatibus, item Confuuiis, non tantum Jus præemptionis, verum etiam exolutionis contra omnes Extraneos attribuitur. Art. 72. Monetæ Hungaricæ qualiter cudendæ determinantur. Art. 75. Bona in Fiscum devoluta ut Rex benemeritis Personis gratis semper conferre teneatur, statuitur. Art. 85. Modus, et Ordo Insurrectionis definitur. Art. 90. Privilegia præjudiciosa Regno, per Regem Valachis data cassantur. Art. 104 Executionis fiendæ Limites, Fisco Regio in casibus notæ infidelitatis, præscribit Regnum. Art. 107. Rebelles subditi Regni Slavoniæ puniendi ordinantur. Art. 120. prohibitum, ne Lites de Territoriis Hungariæ, unquam extra Regnum, ac per Commissarios, Judicesque extraneos revideantur decidanturque. Art. 133. ad Comendationem Regis, compluribus Indigenatus confertur.

Anno 1662. Paris formæ prioribus Leges conduntur.

Anno 1681. Art. 2. Gubernium, et Locumtenentia (creato per Regem Leopoldum *Casparo Ambringio in Governatorem*) in locum vacantis officii *Palatinatus* per Regem introducta, cassantur. Art. 4. Residens Hungarus ut sit apud Portam Ottomanicam. Pax cum Turcis, et omnia Negotia Hungarica per Hungaros tractentur præscriptum. Art. 9. Germanus Miles ex Arcibus privatorum educendus, Arma Incolis restituenda statuuntur. Art. 10. Jura, Libertates Regni, Leges superinde conditæ, Diplomate Regio firmantur; *Signanter vero Titulus 9. 1æ Andree 2. Hierosolimitani Decreta. Item Articulus 41. 1536. 24. 1613. 1614. Nec non omnia Privilegia, et Statuta Libertatibus Regni deservientia a Divis Hungariæ Regibus concessa, amodo impofterum contra easdem, et eadem ad*  
mi-

nullius omnino Instantiam quoquo modo Status, et Ordines molestantur, et damnificentur, ac quæ hæcenus præcipue his Annorum revolutionibus intra, vel extra Regnum, contra eadem Jura, et Libertates Regni facta fuissent, illa omni vigore, et efficacia careant, et nec in Judiciis, nec extra, ut in exemplum unquam trahantur, decretum est. Art. 11. Decrevit Regnum; Ut omnia Bona confiscata sub tempus revolutionis præteritæ, seu per Fiscum, seu Cameraticos Officiales, seu ipsum Regem prætendentibus Regnicolis (citra omnem discussionem casuum Notiorum) reddantur. Literæ univ. se reversales, fidejussionales, contractuales, Bonorum cessionales, per Commissarios Regios extortæ, ac quæcunque contra Leges Regni extortæ essent, in perpetuum cassantur. In effectum horum etiam realem, cum Palatino Regni, Hungaris Deputatis, ordinatis. Art. 12. Repartitiones omnes, et Accisæ, harumque præteritæ restantiæ tolluntur. Art. 13. Auctoritas Cameræ Hungaricæ elevatur, extranei Officiales a muneribus amoventur. Art. 15. Media Tricesima, et a singulo lapide Salis Denar. 2 per aquam promoti, Denar. autem 1 per terram vecto promittitur per Regnum usque futuram Diætam, et hoc sub onere dandarum annue rationum Regno. Art. 17. Annonarium certum Subsidium offertur. Art. 18. Excessus Militares, qualiter puniendi præscribitur. Art. 20. Exactiones omnis Generis militares simpliciter tolluntur. Art. 21. Cassatur Vectigal pontis Posoniensis, a Regnicolis, eorundemque servitoribus, et Colonis exigi solitum. Art. 25. et 26. Liberum Religionis exercitium decernitur. Art. 27. Officia omnia tam secularia, quam Ecclesiastica, Indigenis pure afferuntur. Art. 28. Judicia pro administratione Juris ordinantur. Art. 30. Mandata omnia illegitima cassantur. Art. 34. Judicibus Tabulæ Re-

giæ Salarium per Cameram Regiam exolvendum disponitur. Art. 37. Autoritas Fiscii Regii, et Cameræ restringitur. Art. 38. imponitur Fisco: Ut Literas omnes occupatas, Regnicolis medio Comitii Palatini instantanee restituat. Art. 39. Abusus Tricesimarum, Cameralium Officialium sub revolutionibus introducti, prout et Vectigal Regium abrogantur. Telonia sicca tolluntur, in contravenientes pœna dicitur. Art. 41. Liberarum Regiarum, et Montanarum Civitatum, Jus electio- nis Magistratus sui, Jus caducitatis Bonorum Ci- vilium, Patronatus, Educilli, et alia solita Privi- legia restabiliuntur. Art. 43. Conventiones Civi- tatum cum Camera, Generalatu, respectu vecturæ Munitionum, per Regnum cassantur, injuncto ipsis ultro hoc onere. Art. 45. illimitata Vinorum in Provincias vicinas evectio conceditur. Art. 46. Generalis Insurrectio ordinatur. Art. vero 47. Particularis Regnicolarum Insurrectio, pro placito Statuum, et Ordinum Hungariæ. Art. 53. Comes *Georgius Illesházy* Libertati, priori Honori, Dignitati, ac Juri Possessionis Bonorum secundum Leges Regni habendo restituitur. Art. 57. Obsi- des Civitatis Nagy-Bányensis, Szathmarini, per Comedantes Loci Regios detenti, Libertati asse- runtur. Art. 58. Intra Annum servanda Diæta præ- scribitur. Art. 59. Amnystia Generalis omnibus revoltantibus, eorundem actis, factis, tribuitur, cum reddita vitæ securitate, ac Bonorum, Jurium- que universorum plenaria Libertate. Articulo 64. Privilegia data *Valachis* per Regem, cassantur. Art. 66. Insurrectio Regni Croatiæ, et Sclavoniæ or- dinatur. Art. 71. Ut Bona Frangepaniana per Fis- cum, ubicunque occupata, Jurisdictioni Regni sem- per subsint, statuitur. Art. 72. Miles Germanus ex *Arce Varasdiensi* educendus præcipitur. Art. 79.

Liber questus inter Regnum, et Provincias vicinas præscribitur.

Anno 1687. celebrata Diæta. In hac Status Regni *Josephum* 1. Filium Leopoldi, Articulo 1. in Regem coronant. Deposito juxta formulam ibidem præscriptam Juramento. In qua, contra solitam antea methodum jurandi Hungari patiuntur exclusionem, *Clausula, Andreæ 2. Hyerosolimitani: Quod si vero Nos &c.* usque ad Verba: *in perpetuum facultatem.* Spe illa sibi defixa: quod cum Regnans priori Diæta, Anni 1681. omnia Jura, et Libertates Hungariæ in perpetuum ac specificè restabiverit, observandaque omnia *sub Verbo Regio*, fide jurata assecuraverit. Porro Statibus Hungariæ objectum sit: Fiducia illius clausulæ, sine sufficienti etiam ratione, motus intestinos Bellorum Civilium excitari per complures, privatæ duntaxat causæ interesse in pectore foventes, adeoque ne per similia mala Regnum ipsum exitia patiatur, consultum juxta, et utile fore, clausulæ illius, Regibus contra pacta conventa, Legesque Provinciæ, potestate sua usuris resistendi, abrogare in futurum. Interim fiducia hic infirme collocata, longe alium accepit eventum, sub Regimine Iosephi Primi —

Præterea Status Hungariæ, præcipue Clerus, et Magnates, movente plurimum Paulo Eszterházy, temporis illius Palatino, in omnem effusi animorum exuberantiam, defferunt Regimen Regni sui hæreditarium Habsburgicæ Domui Austriæ, Articulo 2. tenore sequenti dicentes: *amodo in posterum neminem alium, quam altæ titulatæ sue Cæsareæ, et Regiæ Majestatis, propriis ex lumbis suis descendendum Masculorum hæredum primogenitum, in perpetuum, pro legitimo suo Rege, ac Domino semet habituros.* Subiectionis hujus perpetuæ, sequentia observantur fuisse tunc Motiva.

1) Periculofarum inter Regni circumstantiarum præventio.

2) Turcarum, e Regni parte majori, depulsio, Hungarico nihilominus milite a potiori facta.

3) Reflexio Articuli 5. 1547. In quo conventum jam dudum erat; ut cum Hungari semet Regimini Domus Austriacæ præferenter subjecerint, Rex in Hungaria vel semper, vel a potiori saltem resideat, propter multas Status rationes.

4) Spes ex promissis verbalibus concepta, fervandarum tandem pro futuro, ac in perpetuum Legum Consuetudinum, Libertatumque Hungariæ.

5) Ratio restitutorum (prout priori Diæta conventum est) omnibus revoltantibus Bonorum, Honorum, et elargita vitæ, univerforumque factorum Amnystialis Gratia. In reliquo:

Conventio, delati hæreditarii Regiminis, in punctis, sine quibus non; specialiter consistebat sequentibus:

1) Ut semper, toties quoties Inauguratio instauranda erit, præmittatur Articulorum Diplomaticorum acceptatio, et Regia asscuratio.

2) Deponatur superinde Juramentum in illa, qua a Majoribus suis præstitum esset forma.

3) Coronatio semper Diætaliter, et intra hoc Regnum Hungariæ fiat. Substantia vero Juramenti depositi, ac successivis temporibus indispensabiliter deponendi erat hæc: *Quatenus Rex Hungariæ, Ecclesias Dei, Dominos Prælatos, Barones, Nobiles, Civitates Liberas, et omnes Regnicolas, in suis Immunitatibus, Libertatibus, Juribus, Privilegiis, ac in antiquis bonis, et appertinentiis Consuetudinibus conservet, Serenissimi quondam Andreae Regis Decreta (exclusa tamen Articuli 31. ejusdem Decreti clausula) observet, fines Regni non abalienet, sed augeat.*

Hic per occasionem æque observandum contra fictionem operis *Grossingeriani*, et *Francisci Palma Ex Jesuvite Genealogiam* Domus Austriacæ ex Arpad plane deductam, statuentium hæreditarium semper Regimen in Hungaria, jam ab illis viguisse Initiis, nunquam recto Jure fuisse Electivum. Quod si hoc verum esset! non erat utique opus hac occasione Regiminis hæreditatem Leopoldo impetrare a Hungaris. Nova hac, conventaque delatione Gubernii uti, in securitatem Filii sui Josephi I. quasi nunquam antea facta existisset.

Non suffecere ista, pervasi sunt, insuperpondium omnis pro Regimine, statuendæ perpetuitatis, creduli Hungari, ad condendum Articulum 3. mediante quo in defectu *Masculini Sexus Leopoldini*, addicitur *Successio Hispaniarum Regis ætate illa Caroli 2. in alia Austriaca Linea stantis* (cui Leopoldus per hoc complacere voluit, et favores Hispaniarum attrahere) *primogenitis*, et non nisi casu illo, quo tam *Leopoldinum Semen*, quam præfati *Hispaniarum Regis* deficeret, *avita*, et *vetus approbata Consuetudo*, prærogativaque *Statuum*, et *Ordinum in Electione*, et *Coronatione Regum*, suum locum habeat. Denique Articulo 4. *Andræ 2. Articuli 31. clausula* abrogatur, propter eliminandam inter Regem, ac Regnum pro futuro dissidentiam, in Juramentorum quoque successive per Reges deponendorum, formula exmittenda decernitur. Ea tamen sub conditione: *Ut in reliquo Decretum Andræ per totum stet*, et tam *modernus Rex*, quam *universi Sceptrorum Regalium Successores*, in omne tempus, omnia *Regni Jura*, *Libertates*, *Privilegia*, et *avitas Consuetudines* observare teneantur. Articulo 6. Infelix illa Hungariæ Familiis, et acrem semper memoriam sui relictura *Commissio Eperjesiensis* (*Laniena Eperjesiensis* vere vocata) suffertur, castatis ejusdem universis actis, dimissisque omnibus

in Arresto adhuc gementibus eorum Hungaris captivis, qui nondum exquisitis diversis tormentorum, et suppliciorum generibus, vita privati fuissent per *Karassa* Generalem, Judicii delegiti Præsidem, ac inter alios, Extraneos duos Hungaros Assesores *Ladislauum Szentévany*, et *Franciscum Kéry*, ambos, propter crudelia hæc merita, subinde Comites creatos. Decretum porro fuit; *Ut amodo in posterum, si quospiam Regnicolas Notorie delinquere contingeret, processu juxta Leges Regni adversus eosdem procedatur.* Articulo 7. Bona occupata per Commissionem Eperjesiensem, Viduabus, et Orphanis suppliciis crudelissimis affectorum Maritorum, ac Parentum, una cum Literalibus Instrumentis ablatiis, reddenda disponuntur. Art. 17. Numerus in futurum Civitatum Regiarum augendus prohibetur, et si qui locus imposterum reciperetur, pro non recepto statuitur. Art. 20. Societas Jesuitarum recipitur in Regnum, stabiliturque. Art. 21. Negotium Religionis restablitur. Art. 22. Banalis autoritas confirmatur. Art. 23. Nemini, nisi Romano-Catholico, in Regnis Dalmatiæ, Croatiæ, et Sclavoniæ, conceditur bonorum possessorium. Art. 26. Receptio Extraneorum regulatur pro futuro, per Regni Status, ut nempe Indigenatum obtinere volens, *Mille Ducatos* in Regni necessitates præstet. Legibus Regni subsit. Juramentum coram Cancellaria Hungarica deponere teneantur pro Regno, et nunquam citra annuentiam omnium Statuum, ac Ordinum Regni, quis Indigena fieri possit.

Carolo 6. Fratris Josephi I. fundamento Articuli 2. 1687. successionale Regimen Hungariæ adveniente Articulo 2. Diætæ primæ per ipsum celebratæ in Anno 1715. *Universæ Libertates, Immunitates, Privilegia, Statuta, comunia Jura, Leges, et Consuetudines, prout super eorum usu, et intellectu Regio,*

ac comuni Statuum Consensu Diætaliter conventum fuerit sancte observandæ obligantur. Item: Corona Regni in hoc Regno semper conservanda. Non secus: Hactenus recuperata, et ex post recuperanda, quævis hujus Regni, partiumque ei adnexarum tenuta, et partes, prenotato Regno, et eidem annexis partibus de toto re-incorporanda, ordinatur. Prout et: Ad casum defectus Masculini Sexus Austriaci, prærogativa Regiæ Electionis, Coronationisve illibata remanere jubentur. Denique: Ut inaugurandi Successores præmittendam semper habeant presentis assæcurationis acceptationem, deponendumque superinde Juramentum, prout hæc omnia in Verbo Regio, et deposita forma Juramenti; effective quoque caventur. Art. 3. Status, et Ordines præcautionem sibi constituunt. *Ne secus regi, aut dirigi possint, quam observatis propriis ipsius Regni Hungariæ hactenus factis, vel in futurum Diætaliter constituendis Legibus.* Præterea irrepentem dubiam, et ad periculosum Regno sensum, trahi queuntem clausulam, ad formulam Juramenti Josephi I. in Anno 1687. depositi, et Diploma Carolinum in Articulo 2. 1715. existens, pro securitate Provinciæ, explicatam habere voluerunt, *De omni a Regno attendenda avulsione, ac ad morem aliarum Provinciarum Supposito Gubernio.* Art. 7. Cum observaverit Regnum, sub prætextu Criminis læsæ Majestatis, cum Hungaris impie actum haberi antecedaneis temporibus præcipue in Commissione delegata Eperjensi, quæ pure pro Scopo habuit occupationes Bonorum Hungaricorum, et Excidium vetustarum Regni Familiarum. *Defixit modum, Limitesque in futurum processuales agendi, contra incusatum de Crimine læsæ Majestatis.* Art. 8. declaratum est: *Nobiles, et omnes illos, quos sub Nomenclatione hac, Lex complectitur, pro Regni defensione militare, adeoque personaliter insurgere, suaque respectivè*  
*Ban-*

*Banderia producere, et præstare teneri, idque Majestatem quoties necessum esse judicaverit, ad conformitatem hæctenus sancitarum superinde Legum, amodo impostertum quoque desiderare, ac exigere posse. Quia tamen per eam solam Regnum hocce sufficienter defendi nequiret, adeoque validior, et regulata militia intertenenda veniret. Hinc Contributionum Materiam Diætaliter, quo aliunde spectare dignoscitur cum Statibus deliberandam esse. Ordinatur Regnum. Hic primum stabilis Contributio investa, quoad Rusticum Hungariæ, aliosque Ignobiles. Art. 14. Comitibus quovis Triennio celebranda præscribuntur, si non citius necessitate Regni nevors exigente. Art. 15. Tricesimæ superflux tolluntur. Sicca Telonia cassantur. Exactiones a Nobilibus introductæ abolentur. Art. 16. Ambigua in Privilegiis interpretandi facultas conceditur Regi per Statum. Art. 17. Commissiones privatæ Regiæ sufferuntur; autoritas vero Cancellariæ Hungariæ ad omnia Regni negotia extenditur. Art. 19. Mandata Regiæ denuo regulantur. Art. 20. Reverfales per Hungaros Viennæ commorantes datæ *Mareschallatus Officio*, prout et Jurisdictio ejusdem officii in Hungaros tales vendicata, cassantur. Art. 21. Palatinus Regni tempore Infurrectionis, ut Generalis sit Capitaneus, ultro disponitur. Art. 22. Postarum Officia, prout et Munus Generalis Postarum Magistri in Regno hoc, pure Hungaris possessionatis addicitur. Art. 23. Cum Copia Extraneorum semet truserit ad Hungariæ Græmium, per Status, et Ordines Leges Indigenatus pro futuro sancitæ sunt. Art. 24. Decernunt Status Regni: ut emendatio Legum, et Norma processualis, per Deputatos ibidem ad id specialiter elaboretur. Art. 25. Fiscus Regii procedura quoad Caducitates limitatur, ita et Art. 26. Art. 27. Contra Juris Civilis, et Canonici præscripta, Testamen-*

ta quæ vigorosa esse debeant, vel non! decernitur. Art. 30. Negotium Religionis restabatur, et complanatio læsarum hoc in puncto priorum constitutionum Regi per Status defertur. Art. 31. Conventiculi Rosenbergensis in Negotio religionari, sub Nomine Synodi celebrati, acta, et facta cassat Regnum. Art. 38. Locus conservandæ Coronæ ordinatur, et conservatoribus ejusdem Formula Juramenti præscribitur. Art. 39. Pro Metis Regni rectificandis Commissiones decernuntur. Art. 41. Pax cum Turcis, et alia Regni Negotia per Hungaros tractanda disponuntur. Art. 43. Militiæ Cæsareo-Regiæ Excessus puniuntur. Art. 46. Sigillum publicum Comitatus *Thurocziensi* elargitur. Ar. 48. Intuitu Privilegii Juris Gladii, regulæ dictantur. Gratiarum vitæ dispensatio per Status Regi defertur. Art. 51. Interesse a Capitalibus mutuo levatis sex pro cento defigitur. Art. 53. Contractus, et Cessiones, Fraude, Dolo, vi, ac metu extracticatas, cassat Regnum generaliter. Art. 59. Pro Systematis, in Militaribus, Politicis, et Æconomicis elaboratione Commissio delegatur. Art. 62. Successio in Caducitatibus Rusticorum Domino Terrestri adjicitur. Art. 63. Civitatibus Regiis Leges dictantur. Art. 68. Pupillis, et Orphanis prospiciendi modalitas præscribitur. Art. 71. Religiosis, ordinem possidentium Bonorum capacem ingressis portio successionalis definitur. Art. 72. Alienigenis in Hungaria, fundos possidentibus, tributum imponunt Status. Art. 73. Sessio, et Ordo hujus, Præmonstratensibus, ac Jesuivitis per Regnum confertur, cum Voto in Diat. Art. 79. Centuberniorum Cehalium excessus tolluntur. Art. 91. Superflua Tricesimæ, ac sicca Telonia tolluntur, et pro futuro fixa loca denominantur. Art. 95. Privilegia Juri Dominali præjudiciosa abolentur. Art. 96. Com-

plu-

plura Loca Contributioni, velut ignobilia subji-  
 untur per Regnum, quæ fuere Loca Regia. Art. 99.  
 Extranei Negotiatores a Civitatibus amoventur. Ar-  
 ticulo 101. Jus in Personam Coloni, Domino Ter-  
 restri ultro stabilitur. Art. 102. Ordo *Camadulen-*  
*sium, Trinitariorum, et Piaristarum* ad Regnum re-  
 cipitur. Articulis 107. 108. et 109. Civitates Li-  
 beræ, ac Regiæ creantur. Articulis 130. 131.  
 132. 133. 134. 135. et 136. Compluribus Indige-  
 natum confert Regnum.

Anno 1723. Articulo 2. propter Regis Caroli  
 defectum in Semine Masculino, nova defigitur suc-  
 cedio Regiminis hæreditaria, contribuente plurimum  
 ad permovendos eatenus Status Regni, Clero Hun-  
 gariæ, specialiter vero *Emerico Csáky*, temporis il-  
 lius Collocensi Archi-Episcopo, per quam in de-  
 fectu Sexus Masculini, *Jus hæreditarium succedendi*  
*in Regno Hungariæ, etiam in Sexum Fæmineum trans-*  
*fertur, in infinitam quasi æternitatem, et tamen post*  
*omnimodum defectum hunc, avita Consuetudo Statuum,*  
*et Ordinum in Electione, et Coronatione Regum Lo-*  
*cum habitura, reservatur.* — Conditiones stipulatæ  
 sunt: 1) *Ut Successores semper sint Romano-Catbo-*  
*lici.* 2) *Provincias ad Coronam spectantes inseparabi-*  
*liter invicem, et simul possideant, regant, et guber-*  
*nent.* 3) *Jura, Libertates, Privilegia, Immunita-*  
*tes, Prærogativas, Legesque conditas, et approbatas*  
*Consuetudines observent.* 4) *Diplomata eatenus sem-*  
*per præsentent.* 5) *Jurent in Comitibus dum, et quando*  
*coronantur in aditu Regiminis.* Sequitur dein Arti-  
 culus 3. qui ultro Jura, Prærogativas Regni pro con-  
 firmandis, et observandis declarat, ordinando simul  
 Articulus 5. *Ut sensu Tituli 9. 1æ Citatio erga Re-*  
*gnicolos in omnibus Casibus, et Causis etiam criminali-*  
*bus (excepto Crimine læsæ Majestatis conformitate*  
 Articuli 7. 1715. et casibus in Articulo 14. 1687.

expressis) *semper fiat, ac juxta Regni Leges judicentur.* Articulo 6. *statuitur: quatenus relate ad fundamentalem Tit. 9. Iæ prærogativam, Patriæ Nobilitas, partiumque ei adnexarum ab omni tributaria servitute exempti sint, et omni Contributione immunes in perpetuum conserventur. Pure Militare pro Regni defensione teneantur. Armalistæ vero pro domesticis Comitatum necessitatibus, juxta Ideam eorundem Comitatum, conscientiose taxentur.* Hæc omnia quidem nudis verbis, ac scriptis fiebant, nullo robore confituito, in perennem pactorum ejusmodi custodiam, Regni que securitatem. — Art. 7. *Comitia juxta 14. 1715. quovis Triennio celebranda ordinantur.* Articulo 8. *renovatur dispositio Articuli 4. 1550. quoad Regis in Hungaria residentiam.* Articulo 9. *Deciduntur casus Notam Infidelitatis illaturi.* Articulo 10. *Casus ante hac Notæ Infidelitatis, in Delictum actus Majoris Potentiæ pure, reformantur.* Art. 11. *æque non nulli casus prius Notorii, mortis saltem pœna, non autem simul Amissione Bonorum, plectendi statuuntur per Regnum.* Ita etiam Art. 12. *mitiorem adhuc pœnam Vitæ amissione, in compluribus circumstantiis desigente.* Art. 13. *Tricesimatorum Excessus denuo animadvertuntur, et quæpiam Tricesimæ Regis quoque tolluntur.* Art. 14. *Nobiles vicissim ab omni Vectigali Tricesimarum, et Teloniorum, Liberi declarantur.* Imo Art. 15. *Telonia etiam complura abolentur.* Art. 17. *Commissio pro Metis cum vicinis Provinciis rectificandis delegatur Hungarica.* Art. 20. *Reincorporatio omnium ad Regni Coronam spectantium, Regi injungitur.* Art. 21. *In excessus Militiæ regulatio fit.* Art. 24. *Judices creantur pro Tribunali Palatini.* Art. 25. *Judicium Tabulæ Regiæ ultro stabilitur, prout etiam Casuarum species eidem deferuntur sequenti Articulo 26.* Art. 30.

Nova Judicia Tabularum Districtualium, in Locum Fori prothonotarialis antea usitati eriguntur. Art. 32. Methodus processualis præscribitur. Non abfimiliter in Articulis 33. 34. 35. 36. 37. 38. Art. 39. Forma Expeditionum, e locis authenticis Capitulorum, ac Conventuum statuitur. Continuative idem disponitur quoad Executiones Officii præmissorum Locorum, Articulis 40. 41. 42. 43. 44. Articulo 45. Archivum Regni instituendum præcipitur. Art. 49. Libera Dispositio de aquisitis decernitur. Art. 50. Majoratum institutio conceditur, ejusdemque Confirmatio defertur Regi per Status, et Ordines. Art. 55. Residentia Prælatis in Diæcesibus, ac Beneficiis suis injungitur. Art. 56. Comitatus Officia Electioni Statuum in Restauratoriis pure tribuuntur. Articulo 58. Norma celebrandarum Comitatus Congregationum ordinatur. Articulo 61. Perceptio Contributionum, Exactio rationum respectu talium, asseritur Comitatus. Art. 64. Extranei Officiales Regii oneri Contributionis per Status subjiciuntur. Art. 65. Exemptionales Regiæ Civitatibus, et Oppidis non nullis a comunibus oneribus, datæ seponuntur. Art. 67. Portarum adjustatio, ac Regni conscriptio peragenda præcipitur. Art. 68. De Monetæ cursu in Regno disponitur. Art. 70. De Foundationibus, ac piis Legatis Regni ordines fiunt. Art. 71. Ecclesiis sua jura restituuntur. Art. 76. Regiis Educillatoribus Limites in Educillando præscribuntur. Articulo 78. Vinorum, et aliarum rerum, ad vicinas Provinciaseductio referatur. Art. 88. A Regno avulsum terrenum Generalatus Varasdiensis reincorporandum præscribitur. Art. 96. Ordo Crucigerorum Hospitalariorum, Capucinarum, Fratrum Misericordie, Servitarum, Carmelitarum, Paulanorum, Ufulitarum in Regnum recipitur. Art. 97. Consi-

lio Regio Systema dictatur, ita etiam Art. 98. 101. 102. Art. 103. Regnum impopulandum disponitur. Art. 104. quatenus Hungari in rebus, ac negotiis Regnum eorundem tangentibus ad Legationes applicentur, deciditur iterative. Art. 105. De Juventutis bonarum familiarum educatione disponitur. Art. 106. Domus Regnicolaris struenda in Regni Meditullio decernitur. Art. 108. Judicia Montanistica per Status stabiliuntur. Art. 113. Salvi conductus per Regem extradari soliti regulantur. Asyla cum influxu, et consensu Statuum in Diæta elaboranda statuuntur. Art. 120. Usuræ coercentur, ac Interesse mutuo datæ pecuniæ a sex pro cento defigitur. Articulis 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. compluribus Indigenatus per Regnum confertur.

Anno 1729. Art. 1. gratuiti Labores per Status offeruntur. Art. 2. De Regii Vestigialis Institutione decernitur. Art. 3. Reginorum Comendantium *Jaurinensis*, et *Comaromiensis* Regalia Beneficia vindicata abolentur. Prout et Art. 4. Educilla, et Macella Cæsareorum Militarium Officialium. Art. 5. De negotio Salis disponitur. Art. 6. Abusus Salis Officialium tolluntur, et pro futuro pœna dictatur. Art. 7. Recuperata Bello Turcico, Regno reincorporanda decernuntur. Art. 9. Regii Educilli Comaromiensis excessus, prout etiam aliorum similibus abrogantur. Art. 12. Vetatur receptio vagabundorum ad concivilitatem. Art. 14. De uniformi pecuniæ cursu disponitur. Art. 19. Judæi tam a Confiniis S. Georgii, quam Dalmatiæ, Croatiæ, et Sclavoniæ amoveantur. Articulis 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. Mera Judicialia Processuum, sine administrandæ qualiter Justitiæ ordinantur. Articulis 46. 47. 48. 49. Indigenæ denuo creantur. Art. 50. *Augustiniani* in Regnum recipiuntur.

Anno 1741. Maria Theresia, vi Articuli 2. 1723. delataque per hunc præferenter Sexui Fœmineo Carolino Successione, Sceptum Hungariæ obtinente. Articulo 2. Anni hujus 1741. *Libertates, Leges, Consuetudines, universaque Jura Hungariæ diplomaticæ, ac sub Religione Juramenti stabiliuntur in perpetuum, sub illa specialiter conditione Puncto 5. stipulata: Ut omnes successivi Heredes Neo-Coronandi, semper Inaugurationi suæ, hanc diplomaticam Assurationem præmittere, talem acceptare, ac Juramento deponendo firmare teneantur.* Art. 4. Dominus, et Maritus Neo-Coronatæ Regnantis *Franciscus I.* pro Co-Regente, et Co-Administratore Regni Hungariæ sponte, ac libere deligitur, *absque tamen ulla in futurum per alios Regni hujus Regios Conjuges sumenda Consequentiâ, salvaque omnimode Autoritate Palatinali.* Et Juramento quoque obligatur. Art. 7. Residentia Regiæ Majestatis in Regno figenda ultra disponitur. Art. 8. Ne onus aliquod contributio-nale fundo inhæreat, neve Hungari ad Normam aliarum Provinciarum gubernentur, strictissime cavetur. Art. 9. cavetur: Ne Officium Palatinale in posterum ultra unum Annum vacare queat. Art. 10. Archi-Episcopi Strigoniensis, qua Primatis Regni Autoritas Legalis restablitur. Art. 11. Negotia Hungariam concernentia, per Hungaros tractanda ultro decernuntur. Art. 12. Jurisdictio Tavernicorum Regalium Magistris. Articulo 13. Cancellariæ Hungariæ. Art. 14. Camera Hungariæ Activitas constablitur. Art. 15. 16. 17. Beneficiorum, Honorumque tam Ecclesiasticorum, quam secularium collatio fienda pure Hungaris in Regno Idoneis, ac benemeritis, non autem extraneis, præscribitur. Art. 18. Reapplicantur, incorporanturque Loca complura Regno Hungariæ. Art. 19. Forma expediendarum Donationum, et Armalium dictatur. Art. 20.

Dispositio Art. 33. 1715. De negotio Communicationis Donationum Palatinalium, et Locumtenentialium cum Rege fiendæ suffertur. Art. 21. Commissio Neo-Aquistica Articulis 10. 1715. et 19. 1723. introducta, pro Legitimatione Jurium per Regnicolas ad impetitionem Fiscii Regii præstanda cassatur. Art. 8. 1715. quoad Generalem, et particularem Regni concursum conditus, per Art. 22. explicatur. Art. 23. Fisco Regio active procedendi Limites præscribuntur, eidemque vicissim Juri standi obligatio injungitur. Art. 24. Tabula Septem-Viralis quatuor Judicibus augetur. Art. 26. Iniquis Delatoribus alicujus Regnicolæ in Crimine Læsæ Majestatis pœna Talionis dictatur. Art. 33. Cursio Minoris Monetæ præscribitur. Art. 34. Negotium Salis, ejusque præteritum regulatur. Art. 38. Personæ Militares fundos civiles tenentes, Jurisdictioni Localium Magistratum subjiuntur. Art. 41. Taxa Indigenatus ad 2000 Aureos per Status elevatur. Articulo 43. Fundatio Literaturæ, Convictus Nobilis Juventutis Tyrnaviæ providetur. Non secus Art. 44. respectu Fundationis Foglariæ quoad edocendam in Jurisprudencia Juventutem. Art. 46. Sola Romano-Catholica Religio in Dalmatia, Croatia, et Slavonia defigitur. Art. 50. Reincorporatur inferior *Slavonia*, prout etiam *Kuttinensis Districtus* Articulo 51. Art. 54. Subsidiium pro Militia, aliisque publicis Regni necessitatibus, ex parte Dalmatiæ, Croatia, Slavoniæ, una cum mediâ Tricesima, et auctione ordinatur. Art. 63. Generalis Insurrectio per Status, et Ordines Regni promittitur, contra *Electorem Baviaræ ex Josephi 1. Linea procedentem*, et Regni Hungariæ Sceptrum sibi vendicantem. Sub conditione illa: 1) Ut hæc sit pro ista duntaxat vice. 2) Ne per eam fundamentalibus Regni Legibus, avitisque Nobilium Prærogativis quoquo modo

do præjudicatum intelligatur. 3) Ne ad Supplementum amplius Legionum statutarum, Regnum teneatur, seu per tempus durantis Infurrectionis, seu hac cessante. Hic vivum etiam inter alia exemplum est, Juris Electivi Regum per Hungariam testati. Secus juxta Principia *Grossingeriana*, si Regnum jam inde a S. Stephano, vel primo Rege Austriaco non fuit de Jure Electivum, ergo Bavaria Elector rectam habuit prætensionem in Jure præferentiali Lineæ Josephi I. fundatam — Article 65. *Dominicani* in Regnum recipiuntur. Article 66. 67. 68. 69. 70. complures vicissim Indigenæ cooptantur.

Anno 1751. celebrata Diæta præviis conformia denuo statuuntur, ita ut in nullo profus puncto, præcedaneis Regni constitutionibus, Juri, ac usui derogatum sit.

Anno 1764-5. Diæta tertia, et ultima, tam Regnantis Mariæ Theresiæ, quam Provinciæ Hungaricæ celebrata. Præfatio Articulorum habet §.: Postquam &c. *Generalem iisdem Diætam* (nempe Statibus, et Ordinibus Regni Hungariæ) *promulga- verimus. Sub cujus decursu postquam præhabitis mutuis tractatibus ea, quæ ad prædeclaratum salutis publicæ &c. Tandem fideles Nostri Domini Prælati, Barones, Magnates, et Nobiles, cæterique Status, et Ordines &c. præsentarunt Majestati certos Articulos in eadem Diæta comunibus Votis, et Suffragiis, parique, et unanimi Consensu, accedente benigna annuentia Nostra conclusos &c. Quorum quidem Articulorum Series est talis:* Docent ista Monarchiam Absolutam! Legislativam potestatem pure penes Regnantem residentem! Article 12. Disponitur de Literis ex Archivo Fisci, Regnicolis extradandis. Art. 13. Intuitu fundamentum: *Szirmaiænæ, Hrabovszkianæ, Lövenburgianæ* pro eruditione, ac educatione Patriæ filiorum ordi-

dinatio fit. Art. 21. æquam sortem oneris ferendi contributionalis per Loca Comitatum statuit. Art. 26. Providet Pupillis. Art. 31. referatur per portum Buccari Comercium. Art. 36. Excessus Militiæ. Articulo vero 37. Educilla, et Macella hujus abrogat. Art. 42. Ordo Minorum *S. Francisci*, Moniales *S. Elisabeth.* Art. 43. Moniales *Notre-Dame* in Regnum recipiuntur; prout Articulis 44. 45. 46. 47. complures in Indigenas.

Ex depromptis congrue ad materiam, Juris Hungarici Legibus, judicet nunc tota Europa! Num constitutiones istæ Gentilitiæ; pacta conventa Regni Hungariæ; innuant formam talem Regiminis, qua evinci possit, juxta opus Grossingerianum: *Ab-solutam, Legibusque omnibus solutam Monarchiam.* Consequenter: *Legislativam potestatem, pure residere penes Regem Hungariæ!*

Ut hæc in particularitate resumpta, clarius omnibus prodeant oculis, cognoscendum venit, quæ sint *Species Juris Majestatici.*

1) Est Juris Majestatici proprietas, in cura, et dispositione Negotii Religionaris.

2) In Eruditionibus, Educatione ad Provinciam introducenda, constituenda eatenus per Scholas, Academias, Fundationes, provisione.

3) In Jure, condendi Leges Politico-æconomi-cas, Civiles, Criminales pro designanda Norma Regiminis.

4) In Jure Belli offensivi, ac defensivi, quo-ad Provinciales circumstantias inferendi.

5) In Jure legendi, conscribendi, exercituan-di Militis, hujus vestiendi, et armandi.

6) In Jure pacis ineundæ, Fœderum pangendorum; Armistitii constituendi.

7) In dictandis Subsidiis pecuniæ, vel annonæ, aut inducenda contributione.

8) In Jure Legatos mittendi, ratione Belli, Pacis, Comercii, aut Limitum.

9) In Jure cudendi Monetam, ejus cursum præscribendi; curam gerendi, ut sit justa; Legibus Monetariis conveniens.

10) In concedenda Gratia vitæ damnatis Malefactoribus, aut poenam dictatam mitigandi, vel augendi.

11) In Jure conferendi Nobilitatem, Titulos, Honores, Donationem Bonorum, vel alia Privilegia. Ut sunt: *Juris Gladii, Nundinarum, Teloniorum &c.*

12) In Collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum sive per Notam, sive decessum vacantium.

13) In Jure indicendi Comitata Provincialia, dum vel justa, vel necessaria causa subvertatur.

14) In Jure Legitimarum illegitimarum prolium.

15) In Jure restituendi famam, seu per factum, seu sententiam judicalem violatam, per gratiales.

16) In Jure dandæ protectionis, seu prout vocatur Salvi Conductus.

17) In Jure dandæ Civitatis, per receptionem in Cætum, Groemium Regni; Collationem Indigenatus.

18) In Jure constituendarum, et conferendarum Postarum.

19) In Judiciaria potestate, negotia casuum investigandi, cognoscendi, decidendi, superrevidendi, ac exequendi.

20) In Jure Legem condendi, Latam abrogandi in parte, vel toto, aut interpretandi; Non secus consuetudinem inducendi, hanc stabiliendi.

Designat aliquis in præviis, combinative cum Legibus Hungariæ, casum vel unum Juris Majesta-

tici, qui proprius non esset Statibus, et Ordinibus Hungariæ sive in Concreto; sive in repræsentante Regnum Palatino Primatæ. Judice Curia, qui per Legem Populi, et pacta conventa specialiter, Regis potestati delatus non existeret, ac primordiallyter.

Leges præallatæ, per Status, et Ordines Hungariæ conditæ sunt, per Principes serie continua confirmatæ, Auctoritate dictandarum Legum, Regno juxta et Regi, *comuni Jure, Usu, Pacto* quæsitæ.

Constitutiones Regnicolares feriunt etiam personam, Jura, Bonaque possessionaria *Regnantis*. Disponunt *Bella, Pacificationes, Fædera, Militiam*. Hujus exercituandæ normam. Disponunt *de finibus, reincorporatione Regni. Coronæ Diadematæ*, cui deferendo. Qualibus Bonis, et Juribus providendo. Ubi conservando, et per quos intra Regnum. De *Justitiæ*, qualiter, ac per quos fienda administratione. *Tribunalia* condunt, *Proceres* eligunt. *De Sacris* ordinant. *Statu Sacerdotali. Fora spiritualia* creant; *Normam* procedendi his præscribunt. *Religiosos Ordines in Græmium Provinciae* recipiunt, *receptis, votum, Sessionem in Comitibus* asserunt, *Jus Nobilitatis* possessorii tribuunt. *Exteris Jus Civitatis* conferunt. Incolis benemeritis præmia; facinorosis pœnas dictant. *Proditoribus, Aggressoribus, Regni Status, quietis, Libertatis, exilium* inferunt, *tales pro*scribunt, etiam *vita, fortunisque* subinde privando. *Populi Jus in Regnum. Regiminis Comunionem; Juris Majestatici participem*, sociamque Conditionem in omnibus evincunt, et ideo Nobiles Personas in sua perenne relinquunt Libertate. Has ab omni *vi, Injuria, sine præscripto Juris ordine* aggressionem, servitute. Bona earundem coactivo, præceptivo, stabili onere salvant, *Militem alendi, hospitio excipiendi obligatione* relevant.

Universas porro Sanctiones istas, velut mutuum inter Regem (spontanee vel in persona solum, vel in stirpe sua simul electum) ac populum stipulatum contractum, omnes præcedanei Regnantes volentes Sceptro Hungariæ admoventi, sub Inaugurationibus acceptarunt, securam fecerunt Provinciam de observandis tam per se, quam populum Legibus, Consuetudinibus, quæsitis Juribus prærogativarum; Asseruationes suas ex Libero arbitrio procedentes solenni Diplomate, Juramenti Religione, non tantum quoad se, verum etiam cunctos in Regimine Successores æternum confirmando.

Quod *Populus Hungariæ absolutam Monarchiam, constitutis per se Regibus, pure nunquam detulerit, verum sibi quoque comunem retinuerit*, patet etiam ex Constitutione *Comitis Palatii*, subinde *Palatini* vocati, quod munus inde ab Exordio Regiminis *D. Stephani*, in Regno hoc serie continua vigorem habet. Et Leopoldo Rege, *Casparum Ambringenium*, in Locum *Palatini*, creante Governatorem, Officium hoc *Gubernii* cassarunt Status Regni per Art. 2. 1681. restatuto munere *Palatini*. Simul namque ac primus iste Rex *Stephanus, Geysæ Filius*, Regia positus erat dignitate, illico Lateri suo adlectum habuit *Comitem Palatii, Ceba* vocatum, Anno 1001. in partem Curarum, et Regiminis Hungariæ. Qui representabat in persona sua, Corregentiam Populi totius.

Nam Rex, Consilio hujus in rebus Hungariæ uti debet. Neque publicum quodpiam sancienti Regi, sine influxu, annutu *Palatini*, obsequium debetur, infirmum est, quod statuitur. *Palatinus* in Hungaria colitur, tanquam vindex Libertatis, pactorum de Regiminis forma, oppositusque Regibus; Ut olim *Tribunatus, Romanis Consulibus*, potestatis modum semper faciebat. Hinc observandum, magnos

gnos Gentis Animos dura, aut soluta Imperia nunquam pati potuisse. Ideo in custodiam Condominii sui, creasse Palatinum, cui Jure municipalis Regni, sequentes attributæ principales sunt, muneris proprietates:

1) Palatinatu vacante, quatuor Idoneæ personæ Gentis Hungaræ per Regem candidantur, sed una harum pro munere hoc semper per Regnicolas ipsos eligitur. 1439. 2. Ulad. D. 1. 33. 1608. ante Coronationem 3. 1622. 2. Cond. 7. 1738. 1. Cond. 7. 1649. 8. 1659. 1. Cond. 7.

2) Dignitate hac vacante, Comitatus intra Anni decursum per Regem, vel illo renuente, per *Judicem Curie*, aut *Thavernicorum Magistrum*, sub poena honoris, et officii amittendi, præfigi debent. Art. 3. 1698. Ante Coronationem 9. 1741.

3) Literas publicas et Diplomata Regni Statum comunem concernentia penes se conservat 1655. 64.

4) Rege absente, vices ejus subit in omnibus 10. 1485.

5) Regis teneræ ætatis, Tutorem agit. 1485. 2.

6) In Electione Regis, primam vocem habet. 1485. 1.

7) Omnes Gentium Præfecti, qualescunque in Hungaria sint, ab eo dependent. 1618. 4.

8) Activitatem habet Intestina Bella componendi, prout et supremus Capitaneus est, omnis Generalis Regni Expeditionis. 1485. 5. 1715. 21.

9) Arbitrarius Judex est inter Regem, ac Regnum, controversias inter hos exortas sopit. 1485. 6.

10) Oratores Regis exaudit, et ipsis responsum dat ex parte Regni. 1485. 7.

11) Judex in Sclavonia est summus. 1609. 27.

12) Injustas per Reges Bonorum collationes discutit, ac emendari facit. 1485. 8.

- 
- 13) Judicem Cumanorum summum agit. 1485.  
 11) Ita et Dalmatiæ. Ejusdem 12.  
 14) Bonum seu pernotam alicujus, seu defectum Filcale effectum, ad Vires 32 sessionum integrarum, conferendi authoritatem habet. 1609. 66. 1613. 7. 1659. 30. 1715. 33.  
 15) Castra finitima lustrat. Ulad. D. 3. 43. Non secus quovis Anno bis confinia recognoscit. 1647. 61.  
 16) Occurrente necessitate, ipse comitia Regno indicendi Jus habet. 1585. 3.  
 17) Judicum in Hungaria maximus est, Regni Administer 1485. 9. Jus puniendi malefactores habet 1608. 2. post Coronationem.  
 18) Supremo Curia Regiæ Tribunali præfidet semper, excepto duntaxat casu Intereffentiæ. 1635. 15. 1655. 101.  
 19) Tutelas confert Orphanis, qualicumque Regni Familiarum. 1659. 30.  
 20) Gratiam vitæ, ac Bonorum, respiscentibus a Nota Infidelitatis confert. 1536. 5. *Non lucet ex his clare Corregentia!*
-

---



---

P A R S 2<sup>da</sup>.

**Q**uod Gens Hungara Regibus semet subjiciendo, nec voluerit unquam, illimitatam his deferre Monarchiam, evincunt complures Status ejusdem, ac Indolis proprietates; Nam:

Dum adhuc in primis suis incunabulis, qua Scythicus Populus consisteret, jam tunc libera semper Natio erat, servitutis omnis expertus; Teste *Curtio Alexandri Magni Historiæ Scriptore*. Dum reflectit ad orationem illam Legati Scytharum, ad eundem Regem Macedonum dictam; qua declarat semet Scytha coram Alexandro, generose juxta, et Nobiliter: *Imperare non desideramus, sed nec servire illi possumus!*

Majores Hungarorum Regnum hoc martia sanguinis effusione, propriis expensis adepti sunt, probante *Prisco Rhetore*. *Anonymo Belæ Regis Notario*. *Historicis veteribus*. Annalium Europeorum fide; ipsa Lege Regni, Ulad. D. 3. Art. 35. idem confitente. Aquifitor, non tantum Lege communi Gentium, sed ipso Jure Naturæ, Libere semper cum partis industria sua, disponit.

Prout in arbitrio fuit Hungarorum, in Statu primo Democratico manere; vel sub Capitaneis, Ducibusque subinde constitutis perseverare, ac Rege omni carere; Ita in Jure horum situm erat, quantum Jurisdictionis Regiæ, qualibus circumscriptæ Limitibus, coronato suo Rectori deferant. Quantum vicissim per hunc, et qualiter acceptetur, observandumque stipuletur, velut ex præcedaneis visum est.

Qui detulerunt Jus regendi in S. Stephano inchoando, uni quidem, sed Aristocratica corregentia

tia sibi firmiter, et assidue reservata. Noluerunt enim ex unius hominis arbitrio omnia pendere; quem si in vita deflectere contingat, nullus metus, nullus pudor cohibeat. Imo sevitia, malo exemplo, altissima Reipublicæ infligat vulnera, qui sic Regno, hominibusque sibi aspectu Naturæ paribus utatur, velut sui unius ratione hæc omnia creata haberentur. Scivit providi Consilii Gens Hungara, Caput Monarchiæ absolutæ, vel educatione, vel familiari usu, perniciosissimis, quoad suscipiendam formam Regiminis imbui posse per aliquos Principiis. Qui suggerant: Inde coram esse Majestati Lenitatem. Metu defectionis, ad populi arbitrium nunquam inflectendam. Nunquam sine periculo firmum stare Capitis decus, si qui timere debeant, timeantur. Multa vi, et metu extorquenda, quæ arte miti procedere nequeunt, sæpe namque vi frangi, qui Jure flecti non possunt. Primam artem esse regnandi, odia contemnere. Libertatis affectionem, et novi Jugi impatientiam, imperiis duris frandam, eadem fronte gestandam Galeam, qua diadema fulget. Ut Rex cogat quem timet. Populus timeat, quem non amat. Reverentiam ex metu crescere, nunquam plures fieri Cælo supplices, quam dum fulminat. Ad potentiam Principis pertinere, ærarium opibus repletissimum; nec attendendum, num juste id augeatur; an lubentibus, vel Invitis subditis. Vercordi multitudini, per exactiones, aspera Tributa, emungendum sanquinem, ut etiam volens nequeat, furere. Paupertatem, ruditatem in pupulo invehendam, ne vel rationem factorum sibi vindicare valeat. Regnanti nullam prorsus tenendam Religionem, sed hunc pure Philosophum agere debere indifferentem. Religionem nihilominus populo injungendam, in fulcrum Regiminis adscitium. Et hac, jam libere, jam restrictivè ad Regnantis profec-

fectum accomodata. Populo subjecto indulgenda utendum, jam una, jam alia pro prædominante declarata; omnibus interim Dogmatibus ad mutua diffidia, et æmulationes alendis, prout nempe ratio securifandi Regiminis, vel augendorum proventuum exegerit. Sciverunt inquam Hungari, sæpe obstrepere Regibus adulationem, crebro Indolem monitoribus non parere, qui sana in obversum porrigunt Consilia. Evacuari Principum Æraria, dum extreme subjecti emunguntur. Paratiores ad Jussa, populi esse animos, quando cognoscit et capacitatur, Principem non minus Supditorum, quam suum spectare fastigium. Exactionum proventus, justa pure ratione, ac necessitate desiderari, semper in utilitatem Publicæ Rei, nunquam in pervias, ac sæpe indignas expensas, improvida Erogatione effundi. Regni auspicia a clementia petenda. Populum ad obsequia ducendum, non trahendum. Nullum majus Regiminis præsidium, quam subjectorum studium, ac benevolentiam, sine his nullam potentiam diu stare posse. Regium Dominatum, Liberæ Gentium voluntatis. Inventum esse; non timoris, et violentiæ partum! Indignum se Regno præstare, qui, ut regnet, vim adhibet. Infirmisimum esse Coronarum Custodem, Metum! Nihil enim minus cogi potest; quam fides, et amor. Facile subire odium, ac perfidiam, ubi semper metuuntur graviora, inde generari Bella intestina, malorum Naturalium maximum! quia qui vehementer emungit, elicit sanquinem, et quem quis odit, perditum esse cupit. Religione vera, et salvifica, nunquam in questum, et prosperitatem duntaxat Sceptri utendum, talem ingenue observandam, populoque svaviter, recte, prælucentibus Exemplis ingerendam, non ex sinibus aliis, sed sola, pura, et unica ratione Dei! Justitiam strictissime colendam; in po  
pu-

pulo tenendam, ex amore Justi, et verenda reflexione Domini Dominantium, per quem Reges regnant. Qui propter injustitiam, Regna de Gente in Gentem transferre solet. Reflexionem semper habendam ad veteris Testamenti L. 1. Regum Caput 8. Ex quo patet clare: Reges alioquin populo datos esse per Deum in pœnam, adeoque ita regendum esse: Ut qui populus pœnam hanc non mereatur, talem semet pati non deprehendat. Nihil enim acerbius est homini, quam immerito, propter arbitrariam sui subjectionem, pœnam adhuc experiri.

*Nec Europæ toti salutare fuisset; aut foret, velut ex Christianis Nationibus a potiori consistenti, si Regnum Hungariæ sub illimitata Monarchia, in præsens stetit, aut staret pro futuro. Communes Status rationes videantur.*

*Turcarum Genus ferum, ad Urbium, artificiorum Scientiarum excidium natum. Hæc publica Orbis Lues, e Caspiis faucibus evoluta Gens, parva primum manu, clandestinisque excursionibus, Persiam, Arabiam, in exordio affligens, dein barbaro impetu, tum multitudine hominum invalescens, subacto Persarum Regno, cui Saraceni dominabantur Anno 1048. Greci Imperii provincias sub Constantino Monomacho, justis Exercitibus divexavit. Prout etiam sub Amurathe Orchanis Filio, Græcia cessit in prædam, capta Constantinopoli, accensi situ Civitatis Turcæ, quæ Europæ, Asiæque faucibus hærebat, et commoditate pulcherimi portus, tum fama Imperii, quod multis sæculis inclytum vigebat, per Joannis Androni Phocææ pro Republica Genuensi Administris, auro corrupti, et Othomanis Navigia subministrantis collusionem, Adrianopolim progreditur. Hic subactis omnibus, in Daciam irrumpit, Ductore Draculia homine Christiano æque, sed facinorosissimo. Ut ita totam residuam Europam, suæ barbariei faciat*

ciat Sacrificium. Sed ubi *Cibinium* pervenit, statim Sociatis Hungariæ Copiis, cum Transylvanicis, a fronte, et lateribus simul, ferociter impetiti Turcæ, trans *Istrum* repelluntur. Post hæc sinistra, statim in accessu Terrarum Hungariæ gesta, validioribus longe Copiis, in *Hungariam* velut ante murale Christianitatis, Belli molem vertit. *Belgradum*, Arcem Limitaneam Regni, terra, Danubioque claudit. Dimicatum velut pro Aris, et focus instar Furiarum semestri spatio, dubio Marte, donec virtute Gentis Hungaræ, Martis Sociæ, elusis Turcarum cuniculis, septemdecim Hostium millibus trucidatis, Amurathes cruenta obsidione depellitur. Cladem hanc Ottomannorum altera. Dum *Isacus Begus*, inconsulto, suos in aciem promovet, adversus *Joannem Hunyadem Hungarorum Ducem*, uno prælio omnes suas amittit Copias. Tertia luculentiori plaga hostes affecit idem Hunyades in Transylvania. Cæsis enim viginti Barbarorum Millibus, ipsum Ducem interemit. Huic Victoriæ quartam addidit *Schachi Abedinis* exercitu per totum deleto. Omnes has clades magnas fuisse, ipsi Annales Turcarum fatentur. *Uladislaus* ætate illa Rex Hungariæ, illustribus Hunyadis victoriis accensus, maxima celeritate in Turcas movit, et cum Milite Hungaro, trajecto ad *Salsum Lapidem* Danubio, recta *Sophiam* progreditur, urbemque hanc Copiis suis diripiendam concedendo, quinta vice ad Moravam Annem, cæde illata fugat. Hunyades cum delecta manu ultra flumen proficiscens triginta hostium millia in campo sternit. Sexta vice, et quatuor millia captiva facit. Hac reportata Victoria *Bulgarie* Oppida se vicissim in Fidem Hungarorum dant. *Servia, Valachia, Moldavia*, Juris ut antea Hungarici facta. Amurathes Belli Hungarici, et per hoc in Everfionem totius Christianitatis Europæ machi-

chinati acerbo eventu, cum tota sua Militia in Asiam redit, pacem inire coactus illam, quam Hungari dicarunt.

*Sub Machomete 2.* filio Amurathis, Juvene ferocissimo, Arma victricia per totam vicissim Asiam circumferente, *Constantinopoli*, et omnibus vicissim Urbibus, sub jugum Ottomanicum conjectis, denuo finitimas Europæ Provincias, *Albaniam, Serviam, Bulgariam, Dalmatiam, Valachiam*, Hungariæ obnoxias, Porta Ottomanica Triumphis suis destinavit. Hungariam deinde ære, ac viris validam subactura, qua si potiretur, nullas jam vires, et opes, sibi obstaculo futuras in tota Europa statuebat. Turcarum eotum progressus ut reprimerent Christiani Principes, *Nicolaus 5. et Calixtus 3.* Pontifices summo studio laborarunt, sed pulchros conatus, *Nicolai Papæ* morte, ac reliquorum Principum Christianorum discordiis, eludentibus, sola Hungaria, licet hanc omnium vicinorum clades exteruerit, arma sumpsit, in Barbaros. Joannes Hunyades multarum Palmarum Dux, Curas Belli cum *Joanne Capistrano* partitus, Turcarum Naves ad Belgradum, partim capit, partim fugat, aquis mergit, stragemque magnam hostili Exercitui infert. *Machomete* in pectore grave vulnus accipiente. Præcipuis purpuratorum Turcicorum cum *Hassane Vezirio* occumbentibus, Hostes *sexta vice* fracti, Constantinopolim revertuntur.

*Scodrensibus* unius Anni obsidione Turcica pressis sub eodem Mahomete 2. per Legatum Venetum *Sebastianum Badovarium* ad opem ferendam quæsitus *Matthias Rex* Hungariæ, ut primum Mahometes intellexit, Hungaros Arma capere, illico *Eunuchum* Ducem suum, per ardua revocat ab obsidione Scordensium. Successive pro defensa

Venetæ Gentis, Terræque, pugnans Mathias Rex  
 sexies, totidem victorias reportat, teste Badova-  
 rio ipso, Veneta Oratore.

Sub Bajazethe 2. Filio Mahometis: Veneta  
 Respublica novis pressa fatis, et jam jam omnia  
*Græciæ*, atque *Illyrici* Loca cessura iniquissimis pa-  
 cis conditionibus Ottomanno, misso Legato *Se-  
 bastiano Justiniano* auxilium petit a Hungaris, quod  
 etiam Industria *Thomæ Bakacsi* ab Uladislao Re-  
 ge obtinet; promissam opem, quamvis Bajazethes  
 missis ingentibus cum Donis, et promissis, Bu-  
 dam Oratoribus, amovere conatus sit, nihilomi-  
 nus Hungari datam semel fidem observaturi, mu-  
 neribus rejectis, Ducibus: *Joanne Corvino*, *Jose-  
 pho Somio Temesiensi*, *Petro Comire S. Georgii*, vin-  
 cuntur hostes ad *Jaiczam Bosniæ* caput, fugatique,  
 univèrsa castra, in prædam Hungarorum relin-  
 quunt. Per hoc procurata quoque Venetis pro  
 tempore illo quiete. Suppetiis his per Hunga-  
 ros Venetis datis, subinde concitatus noviter  
 Bajazethes, Hungariam iteratis præliis agredi-  
 tur. Comes *Petrus Scepusiensis*, *Josephus Somius*,  
*Joannes Corvinus*, collectis Legionibus *Vidinum* ca-  
 piunt, funditus exurunt; Eandem fortunam ex-  
 perta sunt vicina Oppida, subita inpressione  
 Hungari Equitis vastata. *Nicopoleos* Suburbia fæ-  
 dissimo Incendio delata, Constantinopoli Turci-  
 cæ ingentem metum incusserunt. Mancipiorum  
 hostilium greges immanes in Hungariam pulsi.  
 Turcæ ad opera facienda damnati, aut sub Hasta  
 venditi. Græci ritus hominibus nova sedes ad  
 Temesiam attributa. Repressa proinde nimium au-  
 dacia Barbarorum, factaque cum Hungaria pa-  
 ce medio *Achomatis Vezirii*, Bajazethes, etulit  
 pedem Europeis Provinciis, procurata vicissim  
 Christianis omnibus Ditionibus, per Hungaros  
 diuturna quiete.

*Solymano*, Porta Ottomannicæ Cæsare, et *Kara-Mustapha* Vezirio, denuo seculo priori, furor Turcicus invaserat Europeam Christianitatem, et quidem adeo felici progressu, quod rapta *Buda* Hungariæ Capite, ipsa jam *Vienna* longiori obsidione Barbarorum nutaverit, qua occupata, Europæ totius Excidium secutum fuisset. In summo hoc discrimine universæ Christianitatis, nemo efficaciori fuit salutis, quam Liberæ Gentes, quippe: *Hungarus*, *Polonus* Duce *Sobiecszky*, et *Bobæmus*, in flore tunc æque Immunitatum suarum existens. Ita non ex Scriptoribus domesticis referuntur, ne Patriæ interessentia, fidem subsumptam habeant. Verum exteris; nempe: *Laonico*, *Duca Leunclavio*, *Marino*, *Barletio*, *Coriolano*, *Mauroceno*, *Tubero*, *Codice Verantiano*, *Hannivaldino*, *Joanne Sambuco*. *Ænea Sylvio*.

Moderno Belli Turcici Theatro, quod Anno 1787. inchoaverat, quis non æquus oculus videt; justa, disinteressataque vox comuniter proficitur: omnem fortunam pugnarum, receptæ *Servie*, *Moldaviæ*, *Valachiæ*, deberi pure Hungariæ Militiæ, quæ si non esset, *Viennam* jam Anno possidisset *Luna*, et hucdum maximam Europæ partem inundasset. Adeo quippe verum est, ac confitendum etiam ore inimico genti: quod *Hungaria* semper sit *Clypeus* Europæ, nullum populum aptius natum, et formatum pro flagello, repressiōneque potentiæ *Ottomani*, quam Hungarum in Juribus, Prærogativis, Libertate natum, et relictum. Congruit enim maxime Naturæ, Indoli, Animoque humano, ut Terram talem, nunquam mutabili fide; mutante robore ad ultimam sanguinis guttam, ultimi *Denarii* consecrationem, rabide tueatur; in qua deffendit suam radicalem, fixam, et nunquam ab Arbitrio alterius pendentem

tem proprietatem. Ubi scit dispersa, cessanteque semel Martis tempestate, semet vicissim quietum, Liberum, citra mala pressurarum domesticarum victurum. Et per sui Dominii directivi in Terram; Status corregentialis in administrationem suæ Reipublicæ tuitionem, deffendit, salvat, Majestatem quoque sui Regnantis; ac post tergum suum sitarum residuarum Europæ Provinciarum. Si vero ex Libertate, conjectus ad servitutem populus, Bello extero prematur, amittit omnem Generositatem, vivacitatem animi, despotica conditione extenuati, amittit fidem, amorem, erga Terram suam, Regnantem, velut pacis etiam tempore assidue pugnans cum domesticis calamitatibus, nullo Zelo, fervore agit in depellendum Inimicum; imo alterno Judicio ambigens fit: an non præstet Hosti cedere, ut occupet, vel dominatui ipsius se, suaque potius subicere? Cum natum alioquin, rebus novandis humanum Ingenium, mutationem ambiat Status afflictæ, sperans sub novo Domino, sortem suam forte melioratum iri. Ideo defunctus Fridericus 2. Rex Borussiae Lynceos oculos habens ad prævidenda majoris distantiae furura, præter confederationale vinculum Principum Imperialium, voluit ante mortem scripto Europæo defixum habere semel pro semper: Ut Regnum Hungariæ cum suis Appertinentiis, in Statu Libertatis, Regiminisque sibi proprii maneat, velut ante murale totius Christianitatis, contra crescentem nimium potentiam Ottomanicam. Quatenus per hoc, sua genti, ferox generositas, fides, amor in Patriam relinquatur propriam. Per hoc deffenso, conservatoque fortiter, Regno Hungariæ ab insultibus Barbarorum; residua Europa salva maneat, ipsique Terrarum reliquarum Principes, incolumes regnare valeant.

Si omnes Gentes Europæ in comuni, vel particulares aliquæ, sub quopiam Regnante, æquali servitute fuerint tractatæ. Nonne potest ipsis, velut pari onere pressis, sociisque doloris, semel mutuo incidere: ut omnes semet liberent conditionaria servitute, quam æquo fato patiuntur, cum Natura ipsa, omne vivens libertatis admoncat. Aves licet snapte, ad laqueos, retia veniant, mox tamen naturali suæ reddi quærunt libertati, tanto magis si cantu aucupis deceptæ, vel fame coactæ, captivæ fiant. Non est melior, in Regimine plurium Gentium, Controleria! quietis internæ securitas! quam si harum aliquæ et illæ firmiores in statu libertatis gubernentur, ac velut omni aspectu aptiores ad dimicandum, pro tacito robore, tam internæ, quam externæ occurrentis necessitatis conserventur —

Fingatur Casus. Quod si Hungaria, et Polonia, tanquam vastissima Europæ Regna, validissimi Populi, et Mœnia unice resistentia Portæ Ottomanicæ, contra votum cæteroquin omnium reliquarum Europeanarum Gentium; contra efficaciam præstitorum hucdum meritorum in servato adversus Hostem Christianitatis, Europeo præsidio, asperimæ sibi, subjecta tributariæ servituti, animo desponderit, martialitatem omnem distinctam exuerit, et non Patrii, pro Aris etiam suis, ac focis bellantis Militis, sed pure Mercenarii alicujus mensuram duntaxat impleverit! quis erit alter Populorum, par compescendi vim feralem Ottomanici? Quid si sponte cesserit Turcico Impetui, ut semet effundere possit in totam Europam? Aut quod formidabile plurimum est; duæ hæ fortissimæ Gentes, videndo semet tandem, male tractari; nihil boni in moderno situ suo superesse; animo desperato, vindicta, et spe meliorum accen-

censo, cum Turca pepigerit? de sorte sua, de comuni amico, et inimico? Quis erit in statu dein, his tribus resistendi! tota residua Europa prædam horum agere potest miserabilem! Hæc cum unquium morfu contemplanda essent — Ne sero medicina paretur. Non præsidendum propriis in Viribus. Non sequenda interessata, vel passionata Consilia, quæ nunquam longam habent speculam. Non consideranda privata duntaxat, sed comunis Reipublicæ salus, et utilitas — Cæterum:

Regno Hungariæ cum suis Appertinentiis, non nisi stolidæ invidiæ, vel crassæ ignorantiæ *Zoilus*, sortem seu exaggerat, seu in majus servitutis tributariæ onus, conjiciendam tradit, velut hucdum immeritam quæ distinguatur ab aliis Provinciis; nihil cæteroquin aut valde parum conferentem tam in Regis saltigium, quam vires ærarii comunis. Audi, discute, æqua mente sequentia!

Hungarorum Majores, propria sanguinis, ac æris profusione Terram hanc suam partam habent, prout jam demonstratum — Consequenter Hungari nihil a Rege suo habeant; sed Rex eorum, totum habet a populo Hungariæ, Fundoque hujus — Regem, quo carere potuerunt, sibi sponte delegerunt, cum attributa quantum his placuit, potestate Regiminis. Quæ inter alia, Cancellis circumscripta est principalibus: *Ut Nobilitas Hungariæ Jure, Bonoque suo libere semper uti, frui valeat! Nunquam serviat, sed tantum militet! Nunquam tributariæ Conditioni subjecta esse valeat! Proprietas Terræ, ac Coloni Ignobilis, Nobilitati pure competat! Denique Corregentia, et Legislativa Potestas sit ipsi comunis cum Rege! Pacta hæc sunt, quæ transgredi nec Jus Naturæ, neque Gentium admittit, secus nihil in Orbe securum —*

Defert Lex Hungariæ, Coronæ, ac Regi, amplissimorum proventuum *Bona*, *Coronalia* vocata, et nunquam a Corona separari, abstrahi queuntia, quæ enumerata per Ulad. D. 7. Art. 3. cum additis Coquinæ Regis proventibus Lud. 2. Art. 14. Abunde sufficiunt ad Fastigium Regis, relate ad Provinciam Hungariæ, quæ generosior multo fuit erga Regem suum, quam Polonia, et aliæ Ditiones. Nam præter hoc:

Detulit Jus Hungariæ, Regnanti, in Bonis Regnicolarum, successionem, tam per *Notam*, quam *Deffectum* statuit quidem una: Ut Caducitates ejusmodi per Regem, Indigenis, ac benemeritis Personis gratis conferantur, sed non observato jam dudum præscripto hoc Legis, Jura talia possessionaria per Regem reservantur; vel pecuniis a Camera emi debent. A tempore usus hujus, adeo fræquenter recurrente, in Regno hoc assiduus Bellis internis, ac externis irretito, successionis hujus titulo, quod de Bono in Bonum discurrendo Regni hujus, non deprehendatur unum saltem, quod *quater*, vel *quinquies* jam Regi non fuisset solutum, adeoque Terra tota Hungarica, proprio alias Marte comparata, tantis vicibus non esset empta per ipsos Regnicolas. Quot Millionum Summa hæc! quantum Lucrum cessans, et damnum emergens!

Confert eadem Lex, et usus magis invalescens jam, Regi, Consensus suos, Emptionibus perennalibus Regnicolarum, resolvendi. Nobilitatem per Armales, diversis elargiendi erga certas deponi solitas pecuniarias Summas. Diplomata honorum, dignitatum, præcedentiarum tam secularium, quam Ecclesiasticarum multifariæ speciei, Beneficiorum item Ecclesiasticorum conferendi erga notabiles Taxas. Immanes hic continuo hauriuntur proventus.

Nun-

Nunquam negarunt Hungari, Regi suo necessitate occurrente, congruum, ac per se admensum Subsidium. Ubi pro varietate circumstantiarum discussarum, diversa de suis Bonis resolverunt auxilia. Sæpe resolverunt opem pecuniariam. Vis scire quantam? Sigis. D. 5. Art. 2. Portas majores a Den. 30. Minores a Den. 15. dicarunt, hocque fuit Lucrum Camerae Mathiæ D. 4. Art. 1. et 2. 1527. 8. Iterum a singulis portis subsidium 1 fl. offertur. 1543. 9. 1555. 3. Denuo a singulis portis subsidium fl. 2. decernitur. In materia simili numerosissimas reperies in Articulis antea relatis dispositiones, quorsum Compendii Causa inviatus esto —

Præterea Nativæ Militiæ, pro defensa Regis, et Regni subsidia fuere varia, quippe: Perpetua Banderia Prælatorum, Procerum, Possessionatorumque Regni Nobilium, et aliorum Designatorum in Ulad. D. 3. 20. 21. 22. Articulis. Regale Banderium ordinarie constabat ex 1000. Equitibus, ut citato 21. Reliquorum autem ordinum Banderium integrum, constituēbat Militantes 400. Medium 200. quorum dimidium erat Armigerorum. Aliud Huszarorum. Ulad. D. 1. 20. His accedebant Equites, ac Pedites Portalistæ, qui citato Articulo 20. a singulis 20 Sessioibus Jobbagyionalibus per unum; a Nobilibus vero unius Sessiois, post singulas 10 Domos, æque per unum decernebantur. Habet Regnum constitutum porro Militiæ robur, in *Jazigia*, et *Cumania*, qui perpetuo Militare tenentur. Non secus:

Ad Coronam Hungariæ pertinent omnia emolumenta, quæ Rex percipit ex *Transsylvania*, *Banatu Temesiensi*, *Illyrico*, *Croatia*, velut in separabilibus a Corona Hungariæ Membris. Hinc Confiniaria Militia, constanter parata 70 Mill. et ad omnes bel-

licas expeditiones exactissima prodit. Quam non facileprehendere erit in aliis Regnis. Huc addendum: quod Hungaria Militem, etiam per alias hæreditarias Ditiones statutum (quamvis contra Leges, eztraneum Militem educi affidue clamantes) dimidio minore sumptu alat, quam residuæ Germanicæ Provincie. In Hungaria circiter 40 Millia Equites aluntur, qui in Bohæmia, Austria, Moravia, et Sylefia nec 20 Millia ali possent.

Majus adhuc in omnem gravioris necessitatis eventum, habet subsidium Militare Rex ultra præmissa. Personalem Insurrectionem Nobilium. De qua Andr. 2. Art. 7. statuitur. Ut Regnum suum propriis expensis defendere teneatur, imo cum Rege ire etiam extra Regnum obligetur, verum jam non suis, sed expensis Regis. Efficax hoc Nobilitatis Hungaræ auxilium, agnoscunt etiam Novellares Articuli 8. 1715. 6. 1723. 63. 1741. quo Anno ea Generositate erga Terræ Principem usi sunt Hungari, quod præter, et ultra itabilem Contributionem ex suis Subditis jam Anni 1715. Articulo 8. admittam, præter inquam resolutam eorum personalem Insurrectionem; Insuper 21622. Pedites, modo ibidem descripto; præterea a singula porta Palatinali unum Equitem statuerint pro illa duntaxat vice, et absque formanda hinc in futurum consequentia.

Postquam vero, ut attactum est prævie, Anno 1715. in Comitiiis, objectum fuisset Hungariæ: Insurrectionem Nobilium ad tutelam Regni haud sufficere. Banderistarum autem, et Portalistarum conditionem, modernæ bellandi rationi minus accommodam esse, consequenter validiorem, et regulatam Militiam requiri, hanc porro sine Contributione sustentari nequire. Regnum cum diminutione proventuum suorum Terrestralium, resolvit a  
Sub-

Subditis quoque suis, stabilem Contributionem, quæ a tempore illo, iterative aucta, jam sex miliones Annuos constituit. In his adhuc non subsistit proventus Regius in Hungaria.

Reflectas ad comissionem neoaquisticam, Articulo 10. 1715. introductam, sub prætextu solvendi Juris Armorum, alias pro Regni tutela obstrictorum, quanta moles pecuniarum hic incassata fuerit per Cameram Regiam?

Qualia item Bona, quæ placuerunt, per Fiscum Regium pro se reservata sunt? Quantus est Tricesimarum proventus, quem sola Nobilitas, et Clerus Hungariæ in Mercibus solvit, cum Merces Exoticas non emat facile alter hominum status. Quanta præterea subsidia, ex privata generositate offerre solet semper Clerus, ac Nobilitas Hungariæ, occasione necessitatis Belli emergentis, in parata pecunia, gratuitis anticipationibus vecturarum, Annonæ, Tyronum Militarium. Quid supponendum de Immentis Comitatum Deperditis! quæ alterum Quantum Contributionale faciunt, dum erga medietatem præcii acceptatam, Militi omnia præstantur in Regno. Salis præcium si reflectatur, quem Thesaurum, velut suum proprium, ac inexhauribilem cessit Regnum, multos miliones omni Anno constituit. Huic adde fossuras, quas Nobilitas cum Clero, Regi suo contulit, maximaque in parte nunc quoque conferunt. Et ubi est Fodinarum, Civitatum Montanarum, ex cussione Monetæ grandis proventus quotannis! Non secus immanis proventus assidue usurpatur, per longius vacans Palatinatus Officium (quod alias ex Lege nunquam ultra Annum exhærere debet) per vacantes sæpe diutius, Archi-Episcopatum, Episcopatum Dignitates, perceptione Salariorum ac Bonorum fructuum præmissorum Characterum.

Hic

Hic considerentur Bonâ ingentia, Thesauri Capitalia vastissima, nunc citra omnem vel scitum, et Consensum Regni occupata per abolitionem receptorum in Groëmium Hungariæ articulariter Religionum, piarum Foundationum, Ecclesiarum. Hæc omnia in valore suo constituunt facile Regni quasi unius acquisitionem, ex fundo et ratione Hungariæ. — Statuatur horsum divenditio Banatus diversis partialiter facta, multorum centenorum millium summam inferens. Et quid constituit! Jure Coronæ Hungariæ, occupata *Gallitia*, *Lodomeria*, cum sedecim Oppidis Scepusiensibus, ac Arce Lublo! quæ licet Lege Hungariæ, velut appertinentialia ejusdem, gubernanda forent, nihilominus forma statim Austriaca regulata habentur. Nobilis quoque hic surrexit utilitas ex ratione pura Juris Hungariæ.

Combines nunc Regum, in aliis Provinciis statum cum Hungariæ Proventibus, ac Beneficiis illimitatis, cum Gentis Hungariæ situ, et Indole, Legum ejusdem Regimine! Æquo decernas Judicio: quam utilis, generosa sit Hungaria, erga Regnantium suorum Personam; relate ad statuendam tum his, quam Terræ propriæ securitatem, ita ut nec justum, nec rationabile sit amplius, Hungariam premere. Secus Arcus nimium intensus rumpitur.

Andreas 2. Rex Hungariæ, præter Lucrum Camerae, et Insurrectionem Nobilitarem, non habuit aliud ætate sua in Regno hoc subsidium. Et tamen possedit, tuerique scivit universas Hungariæ Appertinentias, inclusa etiam *Gallitia*, et *Lodomeria*. Imo Hyerosolimas etiam plane occupavit a Saracenis, ideo *Hyerosolimatanus* dictus primus Rex.

Mathias Corvinus, præter Bona Coronalia, Insurrectionem Nobilitarem, subsidium pure jam fl. i. jam duorum habendo (prout antea visum) scivit  
uno,

uno, eodemque tempore, cum tribus etiam potentissimis Vicinis, quippe: *Friderico* Austriaco, Imperatore, *Uladislao* Rege Bohæmiæ, *Casimiro* Rege Poloniarum, Bellum gerere, hos omnes præliis frangere, non tantum omnes Appertinentias Hungariæ conservare, verum præterea magnam partem Austriæ, Hungariæ adserere. *Lusatiam*, *Silesiam*, *Moraviam*, *Bohæmiam* Sceptro Hungariæ adjicere. Scivit inquam *Amurathem* potentissimum Turcarum Cæsarem, una eademque occasione, quo etiam *Fridericum* Imperatorem, præliis superare, Ditiones ipsis adimere.

Postquam ultra ingentium proventuum augmenta, Contributio quoque ad Regnum Hungariæ introducta habetur. Præter amissam dudum *Galliciam* et *Lodomeriam*, perdita est: *Servia*, *Bulgaria*, *Moldavia*, *Bosnia*, pars magna *Croatia*, *Valachia*, medietas *Sylestie*. Et non scivimus, Regem singularem, *Fridericum* 2. Borussum, prius in Europa vix notum, ac solum favore Domus Austriacæ, ad Regiæ Dignitatis Fastigium evectum, cum confœderatione etiam *Romani Imperii*, *Gallorum*, et *Moscovitarum*, superare, imo medietatem illam *Sylestie* cedere cogebamur.

Adeo nempe verum est: quod fidelis, et domesticus Miles unus, plus valeat quinque Mercenariis extraneis. Non consistat fortuna Belli in latifundiis proventuum, ac numerosa Militum manu; verum fidis, peritis Consiliis dimicandi — Patrii Militis ferrea fortitudine, constantia — Majorem namque vim, et impressionem habet, unum feroci generositate; pro Aris, et focus propriis destinato animo, dictum Hungaricum: *Rájta*, quam totum afflictivum tantum Militiæ Regularis, *Lacianum Exercitium* — ejusque bellandi *Planum*, prout hoc Bello Turcico, toti Orbi Europeo manifesto fuit documento. —

Præmissa evincunt abunde : Regimen in Hungaria nec *Monarchicum*, neque *hereditarium* sensu Grossingeriano, seu antea fuisse, seu in futurum esse quire. Neque e re totius Europæ, Christianarumque hujus nationum fore : si Hungariæ Libertas Nobilis, ac Generosa, in tributariam conjiceretur servitutum. Porro :

Legislativam potestatem tam Regno, quam Regi simul, esse propriam, evictum est *Ex Antecedenti* : quod a primis Hungariæ initiis fluens serie continua temporum, probat nulla unquam ætate, circumstantia Regni ; Jus Leges dictandi, soli Regnanti competiisse, activitatem hanc seu Jure, seu usu quæsitam esse. Unica, dubium Privilegium nefors occurrens — interpretandi per Articulum 16. 1715. delata (et hoc etiam per Status Regni) facultate.

Nunc demonstrandum restat a *Consequenti*. Nec securum esse unquam, *Uni, aut paucis*, Dictamen Legum observandarum vendicare, committere. Præcipue in puncto administrandæ *Civilis*, vel *Criminalis* Justitiæ. De sola namque *Voce Populi*, dicitur hoc : quod sit *Vox Dei*.

Discutiat quisunque negotium *Urbariale*, *Tolerantiæ*, *Dimensionis*, *Scholarum Normalium*, et reliqua *in Situ politico disposita* in suo præceptorum Exordio, cum subsequis in eadem materia ordinationibus, quantæ alterationes, interpretationes, supplementales reductiones, in singulo cujusvis merito secutæ sint, et quantæ adhuc sequentur. Ita ut prima dispositio, vix aliquo principii scopo sibi jam constet, Confusione, multitudine successivarum Decisionum ad extremum, nec facile comprehensibilis, minus observabilis prodeat Constitutio. Quæ horum ratio ? Imperfectio statim primæ operationis —

Summatur in Trutinam penitus, novus Ordo Judiciarius, quales in se complectatur Leges, et qui-

quidem ratione administrandæ populo, Civilis Justitiæ, in qua sola societatis humanæ consistit Beatitude.

Omnes Gentes, quæ Legibus reguntur, conveniunt de eo Legis speciali requisito, ad statuentem ordinatam Rempublicam; quod omnis debeat esse: *Clara, Rationabilis, Necessaria, Populi genio coherens, Proficua, Justitiæ celeriore, fixumque producens effectum.*

## P A R S 3<sup>tia.</sup>

Num proprietates has, Sanctiones Novi Ordinis, Judiciarii in se contineant? judicet, omnis æqua disinteressata et Jurium perita mens! Paragraphatim per opus gradiendo.

### CAPUT PRIMUM.

de Processu Judiciario in Genere.

Spho I. Statim ambiguum est: *Utrum Casus ille Legibus præscriptus antiquis, vel novis aliquibus intelligatur? num in Criminali duntaxat circumstantia, vel etiam Civili, Judex Citra præviam Actionem; ex Officio, procedendum habeat? Actio illa cujus supponatur? num Causantis; qui scripto ejusmodi Actionem referente, implorat Judicis Officium, intelligatur? vel actio ipsius Judicis, negotium Causæ scripto quopiam per se dando, erigere debentis? Illud forte §. iste dicere voluit: quod Judex Officium habeat duplex. Nobile, ac Mercenarium. Nobile est: quod per se stat, non deserviens ali-*

alicui Actioni, et hoc exercet Judex motu proprio quin ad id requiratur; ut si in Crimina, propria inquirat autoritate *Mercenarium*, quod per se non stat, sed Actioni coram se erectæ deservit. Consequenter: ut *Nobile* illud officium, tantum tunc exerceat, quando id Legibus præscriptum est. *Mercenarium* vero non nisi exhibenda sibi prævie Actione.

§. 2. Actus, seu scripturæ regulariter duæ admittuntur Partibus in omni Causa, in *Octavali* porro, *Successionis*, et *Divisionis*, nec non *antiquorum Pignorum* indulgentur tres. Quoad species exceptas caufarum; §. 8. attingitur quidem: quod actoratus quæstio distincte a merito proponi valeat, et superari. Quod alias nihilominus non; quamvis plurimæ illarum, actoratus quæstionem ita separatam habeant, et distinctam a merito: quod cum eodem penitus confundi nequeat; ut in exemplo: *Metalis ex usu*, *Proportionalis*, *ad Implementum contra Contractus* &c. Secus vel confusio magna Deffensæ citati, vel neglectus unius circumstantiæ propter alteram sequi debet. §. hoc incipit de speciebus exceptarum caufarum loqui, et dum inchoat, cessat, non profequendo Materiam, quales circumstantiæ in causis his occurrant, quali methodo agendæ, quo gradu tractandæ?

§. 3. Injungitur: ut Actor omnes circumstantias, quæ Juri probando patrocinari possunt, in petitione sua actionali deducat, et exponat. Interim media per quæ probæ constitui solebant antea, utpote Inquisitiones in facti quæstionibus, oculatæ, æstimationes. Conscriptiones, sublata sunt nova ordinatione. Nempe activitas Magistratualium Personarum, in his procedere solitarum, ad requisitionem Causantium.

§. 5. Clare admittitur Exceptio Judicatus: quæ bona, et necessaria in accelerationem Justitiæ provisione tolli debuisset potius, occasione hujus per defixam causarum speciem (quæ cui Judicatu subji- cienda sit) anteverfa, per hoc antecedanea prolon- gatio administrandæ in merito Justitiæ relicta, præ- cipue si §. sequentis 6. quoad Terminum priorem denuo R.C. (in casu exceptionis contra Judicatum su- perandæ) admittendum, et a die insinuatæ hujus in- titu sententiæ computandum reflectatur. Non er- go factum: ut formalitatum fomes suffocatus fuisset, quæ administrandam in merito Justitiam gravi- ter morantur, sed sparsim per constitutionem Novi hujus Ordinis Judiciarii, et inventas ejus extrinse- cas Ceremonias, plures adhuc generatæ sunt, quam antea fuerint in Foris Regni hujus, quod testantur subsequa.

§. 7. In antiquo Juris Ordine fuerant tantum sequentes Exceptionum species: 1) Judicatus. 2) Instituti. 3) Malæ citationis, et exhibitionis. 4) Actoratus. Nunc præter has omnes, Dispositione Ordinis Judiciarii, data est occasio, quam plurimarum formalitatum, inde exceptionum, quibus §. hoc assistentia præbetur, ac injungitur, ut Judex in defectus contra præscriptum nunc, aut in futurum Judicarium Ordinem observatos, ex officio inquirat, et Consonam præscriptæ formæ medelam ferat. Non præscribendo: Num rejiciendo simpliciter motam Litem, aut cassando, vel condescensoriam, velut antè solitum, sententiam dictando; ita quod se in generali hac expressione, Judex desigere ne- queat: quid factu opus! Formalitates porro ultra solitam priorem normam, ex inanibus externis tantum rerum Ceremoniis, generatæ sunt sequentes. 1) Juxta Instructionis Manipulatoriæ Sect. I. §. 5. Libellus debet habere rubrum Prothocolli Nume- rum.

rum. 2) Juxta Cap. I. §. 16. Actio debet statim habere adnexa sibi omnium probationum adminicula, veluti Documenta, et alia suppetentia Argumenta. 3) Cap. 3. §. 150. Documenta non per Synopsim, sed integra communicari debent. 4) §. 151. Adversario Originalium Inspectio intra dimidium Terminum præstari debet. 5) §. 406. Primam scripturam in causa porrigens, habitationem suam statim indicare debet. 6) §. 412. Actor in Loco nondegens, prout et Incattus, statim a prima scriptura aliquem constituere, talemque Parti adversæ indicare debet, cui Decreta Judicialia intimanda sunt. 7) §. 418. præcipitur: Ut Exhibens semper Exhibitionis ritæ factæ, attestationem scripturæ inferat. 8) §. 18. exigitur: Ut semper Pagina externa causa Litis expressa sit. 9) Exhibitio prima omnis Decreti §. 407. R. Convento semper ad manus proprias transmitti debet, quod antea non erat deneceffe. 10) §. 417. Quælibet scriptura Parti adversæ intimanda, in duplo præstanda. 11) §. 439. requiritur: Primæ statim scripturæ adnexio constitutionis procuratoris, cum substitutione etiam alterius Advocati, secus scriptura non valeat. Ex novis his inventis, non tantum complures surgunt Exceptiones, verum etiam Repræsentationes ad superiora Fora, Justitiæ meritum graviter retardantes.

§. Contradictio prodit cum præcedente 7. Hic enim non admittitur in aliis Causis, quam §. 2. exceptis duntaxat sub præstituto ad respondendum Terminum Actoratus quæstionem seorsim obmovere; In præfente vero 7. indulgetur generaliter separata Exceptionum, contra præscriptam etiam Formam Ordinis Judiciarii, objectio.

§. 9. Intellectus Verborum: *Et quamquam adjectio generalis Clausulæ negativæ prohibita, et irrita sit.*

*fit. Sc. Usque vel simpliciter negasse sufficiat.* Compræhendi, et concentrari non potest. Jam enim admittitur Negatio nudæ actoreæ Expositionis, jam pro vetita, et irrita declaratur, tanto magis; quod non exprimitur: quando, in qualive circumstantia, negativa responsio locum habeat, vel non?

§. 10. Ex hujus deductione apparet; quod compilerator hujus Operis scire non debuerit: Quid sit *Calumnia*, et *Præscriptio*? qualem effectum, vimque habeant in *Causæ* situ? Dicit namque ut Reus in responsione hac (Actoratus nempe, et §. præcedentis sensu, ac combinatione intelligendo) peremptorias etiam *Calumniæ*, ac *Præscriptionis* exceptiones (quin tamen Meritoria deffensæ noceant) opponat. *Calumnia* porro, et *Præscriptio*, si subvertetur realiter. Ipso Facto perimit in perpetuum causæ meritum Actoris, absolviq; debet Incattus. Si autem objectio harum non stet, illico Incattus convinci solet, et debet Legis dispositione. Semper ergo nocet causæ Merito talium objectio parte ex utraque. Semper opponi debet in finalibus meriti; Non Actoratus quæstione. Postquam omnia jam deffensæ Media pro Incatto probata, objecta sunt. Quia post peremptoriarum harum causæ ex indole sua exceptionum Oppositionem, nihil amplius restat; quam finalis Litis Conclusio.

§. 11. Deductio hujus adversatur §. 2. Dispositioni, ibi enim admittuntur vel duo saltem actus, vel tres pro ratione causæ Partibus. Hic autem post conclusum etiam Meritum sententia mediante, indulgetur ultro agendi facultas, intuitu investiturarum, meliorationum, et aliorum accessoriarum. Quod utique plures Actus ipso facto processuales secum fert. Agnoscitur lite clare, rationabilis denique fuisse plurium Replicarum antecedanea procedura.

§. 13. *Novas tamen Circumstantias, su probas &c.* Clare præcluditur debita Veritatis, ac realitatis Negotii processualis elaboratio. Quod manifeste præcipitat Justitiam. Multiplicare facit Lites in Statu Reipublicæ. Cum Causans ejusmodi, quamvis decurrente adhuc re Litis, non audeat in salutem suam amplius, et quidem Actor ultra Libellum suum R. C. ultra Responzionem 1. Novi aliquid inducere, sed cogatur dein arripere remedium Processus antea Novi vocati. Nunc Restitutionis in Integrum, juxta §. 395. et 396. Non in his sita est accelerandæ Justitiæ ratio.

§. 16. Collaterales Inquisitiones præcipiuntur adnecti statim Actionali Libello. Et nullus est relictus, qui tales ex Officio fide digno peragere valeat. Nomina porro nuda Testium cum punctis interrogatoriis adjungere actioni in Forma probante; semper periculosum est: tam propter occurribilem interea, donec res ad effectum deveniat, Testium decessum; quam facile sequi valentem ex parte adversa eorundem præviam, vel ante institutum Examen corruptionem, ac consequentiam poenæ indebitæ in causis violentialibus; omnia adminicula Libello. Actionali statim adnecti injunguntur. Jam! Est ne hoc justum, carens ingenti aggravio, ac possibile? Ut in Causa E. G. Metali. Si Incatti sint aut 70. citandi (prout sæpius etiam plures occurrunt) Mappa, cujus unicum Exemplar crebro Aureos etiam 12, 24 constat, toties, tantis Incattis coplata transmittatur?

## CAPUT SECUNDUM.

### De Processu Verballi.

§. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. præscribitur, admittunturque in tribus circumstantiis, processus Verballis; et summaria oretenus fienda, procedendi methodus ad speciem, implicite interim, combinata omnium §. adinvicem dispositione, prodit ad extremum formalis scriptus Processus, cum illa unice distinctione: quod Judex a potiori scribere debeat. Processus Verballis ex indole sua, nullam recipit scriptitationem, sed puram exauditionem partium, seriatim, et oraliter adinvicem disceptantium, unice sententiam argumentorum pro, et contra reasumptoriam scripto Litigantibus extradandam requirit.

## CAPUT TERTIUM.

### De Processu Scripto.

§. 38. Ex dispositione hac ingens Negotiorum processualium *remora confusio*, et crebro *Elusio* sequitur. Judex causæ transmittit Actionalem Libellum in omnibus exemplaribus, alteri Judicio sine procurandæ Exhibitionis. Res hæret, sæpe deperditur in toto, vel in parte. Actor nihil scit quid, ubi agatur cum Actione sua. Ubi, et quare adhareat Negotium, apud quem urgere debeat effectum Exhibitionis, Testimonium super hac dandum. Crebro ad iteratam adursionem, Judicium exhibitionem procurans Testimonium non mittit, aut post Terminum jam Responsionis, tardius transmittit cum ingenti confusione Actoris, quid factu opus sit cum R. C., non respondente, semet nec dirigere scientis.

Frequenter re infecta remittitur actionalis Libellus. Casus jam accidit: quod post mortem jam exhibitus sit R. Cti, Viduæ ipsius. Quod in persona nullatenus deprehendi valeat citandus, licet crebro quaesitus (Didicerunt namque ex præscripto hoc citandi omni arte evitare Fiendam sibi personaliter exhibitionem) Auscultantes subalterni Judicii, a potiori postremæ conditionis, et Characteris homines creati soliti, quaestum etiam exercent cum Actu hoc exhibitionum, prætextuant se toties quoties ad talem, et talem distantiam post R. C. ire debuisse. Expensas Vecturarum prætextuatarum, Diurna Notabilia exponunt, Causantibus; ex quo nulla regula in his statuta sit, ineffabiles propter personalem adinventam Exhibitionem, remoras, sumptus, acerbe pati coactis; Ideo etiam, quod magna parcitas Individuorum, pro Exhibitionibus applicari queuntium inducta sit. Sæpe Actores pure propter inanes, et gratis factas personaliter fiendæ exhibitionis Expensas, ne majores adhuc facere debeant, destituerunt a promotione Litis.

§. 40. Dicitur: Quod Reo in præscripto Termino non respondente. Actori quoad Factum sine ulteriori probatione plena fides tribui debeat, Actaque ad illius postulatam irotulanda veniant. Subseque concluditur; Ut Reus pro re nota vel absolvatur, vel vincatur. Hæc duo sunt sibi nimium adversantia. Nec secus conciliari possunt; nisi vel admittatur, Judicem posse extra rorbam Actionalis Libelli judicare, vel vices subire posse Rei contumacis, et ex parte ipsius opponentem, ac simul Judicem agere. Cum in casu Contumatiæ citati regulariter Convictio plana dictari debeat, etiam si forte Actor rectum habere secus non videatur, in pœnam plurimum aliorum pro exemplo salutari, testatæ erga Judicem Contumatiæ statuendam.

dam. Secus Justitiæ administratio hac modalitate semper eludi quiret.

§. 41. et 42. cum 45. et 46. Occasionem præbuerunt toties quoties dilationem quæsitæ Actorei, ex levissimis sæpe ratiunculis petendi, ac Justitiæ gravem remoram causandi, tanto magis; quod Judicia Instructionem particularem habeant: ut liberales semet exhibeant, in condendis Dilationibus. Dein sequitur ex his; 1) quod debiliores Advocati, Causarum plurium patrocinium assumentes, spæ lucri, tales dilationibus duntaxat sollicitatis defendunt, dein non fidentes sibi, illas deserant, cum gravi causantium incommoditate, et jactura Jurium, præcipitanter dein re antea neglecta, et ad postrema relicta, cum exiguo superexstantis temporis spatio per alium successivum causidicum tueri debente. Quod 2) Molem Processus maximum constituent a potiori supplices pro dilationibus recursus, eorum Decretationes, cum omnia hæc Irotulationem quoque ingredi debeant, inde Acta Processus, labor Judicium; pars actorea oneretur inanibus scripturis, et expensis postalis portorii.

§. 44. Generata est confusio per hoc; quod præscribatur: Ut Responsum Rei, Judex Actori pro Replicatione transmittat cum præfixo Termino. Multi Actores ejusmodi, qui sciunt citra patrocinium Advocati rem suam tueri, bona fide putabant sibi ad locum habitationis suæ transmittendam fore, Responsum R. C. talemque præstabantur, non constituentes hac ex ratione in loco Judicii vigilantem a parte sua Advocatum, impegerunt. Reus enim Conventus veniendo successive ad locum Judicii, et depræhendendo haud datam, tempore per Decretationem statuto, ex parte Actorea Replicationem. Irotulationem sollicitavit, graviter præcipitata Actoris Justitia.

§. 48. Ut præscriptum §. hujus adamuſſim impleatur, debuiffet prius divina providentia ſtatuī, ut Liberalia Inſtrumenta univerſa in Regno, pure pro confutatione Facti, et Exceptionum citati, adpromptata habeantur, et nullam aliam Materiam in ſe compræhendant. Quid ſi ! Documentum quodpiam per Actorem adverſus R. C. inducendum, non ſolum confutationem Exceptionis per ipſum oppoſitæ; verum etiam *Novum Argumentum Probationis* in ſe compræhenderit? vel ergo rejiciendum veniet ideo: vel mutilandum quoad Novam probationem ſuppeditatam; in parte ergo valebit, in parte non! Judex ergo judicare debet cum temporis perditione; Jurisdictionis ſuæ exceſſu, non tantum de proceſſuali ſubſtrato, ſed etiam valore probativi Documenti, non ſecundum Literam, allegata, ſed probata (Judicem alias agere debens) verum contra hæc decernere cogetur, cum manifeſta Juſtitie reſiſtentia, et offenſa Juris Gentium, ac Naturæ. Non audire, imo rejicere deſſenſam Cauſantis! qui ideo recte conſtituitur coram Judice, ideo hujus implorat officium! Idem eſt ratione R. C. §. 54.

§. 49. Neceſſitatem tamen ejusmodi Novarum probarum admittendamque talium productionem videns, medium invenit, nec rationi, neque dignitati Religionis Juramenti, neque accelerationi Juſtitie adminiſtrationis congruum. Quis hoc ſupponat rationabiliter: Ut Actor quærens aliquid, ſtudio reticeat, et negligat probam, poſtulado ſuo proficiam? Cur debent Juramenta, per quæ Deus in Teſtem provocatur, otioſe profanari? Cur debet ex una diſputatione, litigioſa materia, alia generari? proceſſus inanibus protellari? donec enim Actor cum ſuo R. C. circa materiam particularis ſupplicis Libelli pro, et contra ſcriptis diſceptaverint, et Judex ſuper eo Judicium ferre debuerit, diſtincte,  
Me-

Meritum processuale subversans — interea superari potest, vel potuit. Eadem circumstantia occurrit quoad §. 55. intuitu R. Conventi.

§. 60. Ad casum intervenientis decessus Lite pendente R. Conventi, quoad prosecutionem causæ, qualiter faciendam contra demortui Successoris, confusa duntaxat et protractoria rei ordinatio facta est. Sufficisset Negotium relinquere penes consuetudinem pristinam, ut nempe in casu tali Actor Actionem continuatoriam simpliciter erigat, cum transmissione prioris imparibus adversus Successorem defuncti Rei Conventi, vel Tutorem ejus.

## CAPUT QUARTUM.

### De Litis Denunciatione, et Evictione.

§. 61. Casus supponitur talis: Cajus vendit Sempronio Fundum, qua liberam. Interim cum effluxu temporis alicujus, Petrus, qua Terrestris Dominus Fundi, petit Censum pecuniarum, vel aliam quampiam obligationem a Sempronio, velut Fundi Possessore, talemque Jure prætenso exigit. Disponitur ergo §. hoc: Ut Cajus adstringatur per Sempronium, ad Litem Petro movendam, cum denunciatione fienda, respectu formatæ illius in fundum prætensionis. Jam! Si Cajus hoc facere nolit! prout stultus esset! quomodo ad id stringetur? Lex, aut imperfecta, aut otiosa, effectuque suo carere valens, nunquam in statu Civili utilis est.

§. 62. In æquali cum priori stans supposito, æque similis prodit.

§. 63. et 64. Disponitur: Quod si Evictor pro ratione Causæ vel intra dimidium Terminum, vel ante Dupplicam Actoratus per Evincendum non evo-

cetur; Evictionem in se suscipere non teneatur. Si autem Evictionem in se suscipiat; quamvis post tempus præscriptum citatus; quid faciendum evincendo; quid Actori causæ; quid Judicio? Non est circumstantialis Methodi processualis Ordinatio. Pro ut etiam in eo, R. C. in moderna Norma dicit, et remonstrat etiam semet habere Evictorem, concedi ergo debet regressus ad illum huic. Adhærente interea Lite Actoris. R. C. sponte tardius exhibet Actionem evictionalem Judicio. Hanc vicissim, quo tardius adhuc fieri potest, ad Exhibitionem deducit, ut vexet Actorem, aut plane relinquere cogat Littem. Utrum prius justa magis in eo non fuerit procedura Regni hujus, dum Judex insinuanti semet habere Evictorem, ad postulatum Actoris proportionatum statim dictavit per sententiam Terminum, ad quem sub pœna præclusi Evictorem evocare tenebatur Incattus.

## CAPUT QUINTUM

### D e R e c o n v e n t i o n e .

§. 69. Circa initium, Jus Reconventionis in omni casu singulo R. C. admittitur contra Actorem extraneum. §. autem Conclusionem admittitur respectu intraneorum pure tunc, dum respectu alicujus debiti undecunque promanantis, agitur invicem. Jam quæ ratio hujus justa esse potest? Intraneus ergo Privilegiatus erit a debito Justitiæ reciproco? quæ generaliter præscribit (omnem hominem sensui suo includendo) *suum cuique tribuere*. Cur medium hoc salutare, optimum, compendiandarum Litium (quippe Jus Reconventionis) quoad Intraneos Cives impediri debet?

## CAPUT SEXTUM.

De Jure, et obligatione agendi, et excipiendi in Judicio.

§. 71. Ordinatur: Ne Judex ab iis, quibus non est facultas standi in Judicio, et qui Jura sua nec active prosequi, neque passive defendere queunt, ex Legum dispositione, scripturam ullam recipiat, sed talem statim rejiciat cum ratione super Libello indicanda. Scripturas a potiori solent in Judicio exhibere Advocati a parte Causantium. Quid Judex sciet: Utrum Causans talis active, vel passive in Judicio procedere valeat? Judex deberet singuli hominis in districtu suæ jurisdictionis personam, et statum nosse, quod est impossibile! Contingat casus: quod talis citetur per aliquem Actorem in Litem; qui personam, aut facultatem non habet agendi in Judicio, et hic ex parte sua defensivam scripturam porrigat; Judex eandem rejiciat ergo, et talem R.C. ad postulatam Actoris, qua semet in Jure defendere nequeuntem convincat? vel universa Acta etiam Actorea, una objiciat? Si Actor personalem Actoratum non habens citet quempiam in Jus, alioquin R.C. opponet in Actoratus questione difficultatem hanc. Si vero citetur similis, etiam obmovebit eatenus Exceptionem, et tunc informandus legaliter Judex, superet Negotium sententia formali mediante, vel per stabilitariam, vel condescensoriam Decisionem; non autem scripturam simpliciter rejiciat. Multi enim hinc mali eventus sequi possunt, Facto hoc Judicibus indulgendo.

§. 72. Creatur 1) Processus ex *vana Gloria!*  
2) Ex *novi Operis Molitione*. Quæ species nunquam in Regno Hungariæ vel auditæ, minus expertæ fue-

re. Vanam enim Gloriam contemptu absolvit feriosa Natio Hungarica. Glorietur enim aliquis contra alium, respectu Juris qualiscunque ad Bona ipsius prætenfive habiti, hac levitate nec obtinet quidpiam, nec movet animum alterius in Hungaria, nisi effective causam eatenus errigat, ac prætensionem suam in Forma probante legitimet. Juxta illud Virgilii: *Tela manu miseri jactabant irrita Teucris*. Si quis vero novum quodpiam Opus molietur in fundo suæ proprietatis, illud alioquin licite facit; si autem in alieno, hoc aliunde alter præjudicium sibi inferri sentiens, intra Annum, et diem turbabit, post tempus vero hoc effluxum Processu quæruloso vindicabit, juxta Regni hujus morem continuum. Cum violentiæ species sit quadruplex: *Ablativa, Impulsiva, Turbativa, et Usurpativa*.

## CAPUT SEPTIMUM.

### De Provocatione ex Lege diffamari.

§. 73. Æque nova Litis species generatur. *Ex Lege diffamari* vocata. Casus hic supponitur ille; Si quis alium debitorem suum esse jactaverit. Quod causa hæc una, cum præmissis duabus otiose inventa sit, effectuque suo careat, evincunt sequentia. 1) Si Debitor realis fuerit, ille qui proclamatur, tacebit alioquin, neque se movebit propriæ compunctus conscientiæ dictamine. 2) Si Debitor non fuerit? aut Contemptu vincet vanam jactationem, aut jactantem semet, coram illis, ante quos proclamatus fuit pro Debitore, turpiter confundet, vel protestatione coram publico Loco interponenda, rem deterget, cum efficaci sui satisfactione. Cur opus sit Lite ideo errigenda? Quæ Lis: 3) Omni aspectu inefficax evadit pro jactato Debitore. Nam li-

cet silentium impositum fuerit per sententiam jactanti  
 semet, claudetur ne ipsi per hoc Os ita : ut ille nun-  
 quam in posterum idem proferre possit coram aliquo ?  
 Et si protulerit, iterum nova Lite ad noviter im-  
 ponendum Silentium toties quoties impetatur Levis  
 homo ! Si jactatus Debitor, Creditorem jactantem  
 citaverit, et hic Facto quopiam pro Termino judi-  
 ciario non compareat, consequenter nec respondeat  
 et ideo ex forma Processus judiciarii vincatur  
 in perpetuo silentio, eatenus tenendo. Hic suc-  
 cessive via novi (num restitutione in integrum vo-  
 cata, et §. 395. cuius Causantium admitta) proce-  
 dat contra debitorem jactatum antea, modo vero  
 legaliter pro tali probatum, et convinci realiter cu-  
 ret, et exequi. Quid juvabit debitorem prior Pro-  
 cessus *Ex Lege diffamari* motus ? Cujus effectus erit  
 pro eodem ? Ordinata cura rerum Civilium exigit  
 minuere Litigia in statu humani generis cateroquin  
 ad hæc proni, non autem augere, quia hoc qua-  
 rendum maxime svadet in omni genere Reipublicæ,  
 ratio Boni comunis, quietis domesticæ. Non oc-  
 casionem porrigere plurium dissensionum per novas  
 Inventiones. Dicit enim Tacitus: *Corruptissima Res-  
 publica, ubi Leges multæ.* Quia ubi Leges multæ,  
 ibi, et Lites multæ, sint, oportet !

## CAPUT OCTAVUM.

De provocatione ob Novi Operis molitionem.

§. 79. Hic vicissim otiosa Litium multiplicatio  
 subversatur. In excogitata nova specie causæ. *Pro-  
 vocatio ob novi Operis molitionem* vocata. In usu Re-  
 gni hujus existit in prasens illud; quod volens quis-  
 piam aliquid Novi constituere seu in Terra, seu  
 aqua,

aqua, seu ædificio, vel habeat Jus rem illam novam moliendi, vel non? Si habeat Jus, et impediatur per alium effective, aut non admisione Operis, aut diruitione talis; Impediens ille, Processu violentiali comepescatur, cum resarcitione Damnorum, ac Expensarum, proprietarius autem hac ipsa via suum obtineat scopum. Cum juxta principia Legum Hungariæ quatuor sint species Violentiæ ad vindictam Legalem spectantes: quippe *Ablativa, Turbativa, Impulsiva, et Usurpativa*. Si autem Jus non habeat ad Opus quodpiam constituendum, aliunde turbetur per alium, qui præjudicium per hoc sibi inferri sentit, consequenter nihil præter pœnitentiam facti, et expensarum recipiat; præterea Processu Violentiali puniri possit, velut violentus Juris alieni Invasor. Latet hic præterea modus astutissimus aquirendi Dominium, cum gravi, perennique alterius injuria. Statuitur illud: *Ut provocato Jus suum in Contrarium non docenti, perpetuum Silentium super eadem re imponatur*. Consequenter præcludatur ipso facto perenne remedium viæ novi, in causa semel cadenti. Jam ponatur Casus! quod in causam attractus vel ignorantia, vel negligentia sua, aut Advocati Jus suum hæud debite in contrarium edoceat; aut interessentia, vel mala excussione Judicii causa cadat. Vi impositi sibi perpetui in hac re silentii, æternam Juris sui jacturam pati cogatur? Si autem novifare admissum est succumbenti, prout in aliis causis; ergo pœna silentii perpetui otiosa, inefficax evadit pro Actore, imo pro casu Triumpho Novifantis plectitur graviter Fiducia sententiæ inmoliti, constitutique novi operis expensis, ac fatigiis in casum habitis, quod cum exordio rei, forma hucusque in Regno hoc observata, minori cum damno, et incommoditate partis utriusque sisti valebat.

## CAPUT NONUM.

### De Processu Edictali, seu Concurſu Creditorum.

§. 80. Ex ambigua iſthic diſpoſitione colligi non poteſt; quis ſit competens, et quærendus oberati Judicatus in caſu exempli gratia ſequenti: Cajus habet Bona quæpiam in Hungaria, reſpectu quorum concursus Creditorum exigitur, et habet etiam Bona in Auſtria, ubi etiam perſonalem ſimul reſidentiam fovet. Vel habet Bona in Diſtrictu Cis- Danubiano, et præterea in Trans- Danubiano, una cum perſonali reſidentia. In quo ergo Loco Judicium Edictalis quærendum?

§. 81. Decernitur Excitatio concursus pure in caſibus. 1) Si Debitor profiteatur ſe ſolvendo non eſſe. 2) Si Hæres, aut Maſſæ, poſt mortem alicujus relictæ Curator ipſe concursum excitari poſtulet. 3) Si Debitor jam inareſtatus, ab aliquo Creditorum, nova executione viciffim impetatur. Caſus primus non facile, aut prorfus nunquam accidit, quis enim ſit talis ſtultus, ut per confeſſionem propriam ſemet periculo exponat. Omnium amiſſionis, et crediti ulterioris in humana ſocietate. Caſus ſecundus ſi occurrat, ille nunquam caret dolo, injuriandique Creditores præconcepto principio. Hæres namque talis, aut Curator tacite prævie, ac ſupprimunt a potiori res mobiles maximæ conſiderationis cum deceptione, eluſioneque Creditorum, inſufficientem dein Fundum pati coactorum. Caſus tertius conſtituit remedium ſive fructu, dum nempe fero jam medicina paratur. Dum enim Debitor inareſtatur per quempiam in Hungaria, ſupponitur circumſtantia tituli 28. 3æ. nempe defectus Fundi.

Si

Si autem casus iste subvertatur semel apud Debitorem, quid juvabit inanis concursus excitatio, alium? Creditoribus recte provisum est hac dispositione ita: ut magis falli, injuriarique valeant. Postquam semel Debitor non solvit Interusuria suis Creditoribus, communiter per tempus longius; prodigaliter vivit, et forti ad servandum ulterius Creditum (ut magis decipiat) pro exolutione Interusuriorum nova contrahit Debita. Jam in malo situ sunt res tam Debitoris, quam Creditorum. Jam concursum excitandi Jus surgere deberet cuicunque Creditorum. Legum dispositiones prodesse debent hominibus, non nocere magis, et subtiliter occasionem porrigere apertarum elusionum, prout infra uberius detegatur.

§. 82. Non Debitori comitti hoc debet, ut statum Bonorum suorum activum, et passivum ipse conficiat, sed ad petitum unius, vel plurium Creditorum, illico Fide digna persona rem æconomicam intelligens, oberrati Bonis, et habitationi proxima exmittique illico opus ejusmodi cum concursu Creditorum, vel Mandatariorum eorundem nulla contradictione, aut Impedimento qualicunque Debitoris obicem sub pœna dictandi ipso facto Arresti, ponere queunte, faciat, ac Judicio præsentet. Secus juxta Ordinationem §. hujus conscriptionem Debitor peraget pro volupe suo, et sponte prætextibus exquisitissimis protrahet, cum causanda semper Creditorum elusione, ac injuriatione.

§. 83. dicitur: *Si Debitor Creditoribus petentibus de Solutione non caverit &c. Concursus sine Cunctatione aperiendus est.* Qualis illa cautio esse dabet? consistit ne illa cautio de scripto danda obligatione solutionis; vel de Hypothecæ præstatione; vel denique de Cavente quopiam statuendo. Per prima duo, idem per idem superabitur. Data namque

que semel per Debitorem occasione mutui accepti Creditoribus obligationes, aut Chartabiancæ, alioquin obstringunt jam secururam Solutionem, alioquin expressam, vel tacitam Bonorum Debitoris inferunt jam Hypothecam. Tertium medium plures tantum intricas post se trahit. Nam 1) Cognosci vicissim debet status Caventis, num sufficiens sit per longiores Negotii protelationes. 2) Caventi ejusmodi, si pro sufficenti depræhendatur, sequestrum imponi, ut firma Creditorum per hoc defigatur pro futuro securitas. 3) Juxta principiatam Municipium Regni Jurium, et usus forensis; quam Legum Civilium, Debitor successive excuti debet prius ad peram, et saccum, prout dicitur, et dein primo Cavens attrahi. Ex quæstionis unius difficultate, alia; Impedimento uno, aliud; ex Lite una, altera nova tantum generatur, Creditori semper per hæc periclitanti sanissimum, et compendio suo fructuosissimum est. Si semel Debitor implexus oneribus compluribus depræhendatur, valorem Bonorum jam æquantibus, vel forte superantibus; Interfuriorum solutionem longiori tempore negligat, vel rem suam œconomicam pessime curet, dispendiose vivat, Nova, et Nova onera contrahere prodeat; ut ad concursum immediate citetur, factaque ejusdem status activi, et passivi authentica conscriptione illico peragenda, juxtaque situm cujusvis Creditoris realiter exequatur Processu summario. Jam enim de tali nihil boni ultro sperandum. Et optima cautio de solutione, effectiva fundi receptio, quem si vult suum vicissim facere, redimat depositis deponendis. Salva semper relicta Creditoribus postremum Jus, Intabulatione, vel ætate Chyrographi habentibus. Et ideo forte in defectu Fundi, ab excontentatione emanentibus, ad superinscriptionem agendi contra ingredientes Bona Debitoris, Creditores (si voluerint) facultate.

§. 84. Prescribitur: *Concursum* aperiri per *Edictum*, quod pro *Convocatione Creditorum expediendum est*. Superi! quam longa via excogitata ad assequendum scopum Creditoris; aut Creditorum semet prima vice insinuantium. Edictum illud donec expediatur. Donec publicis Ephemericibus inferatur. Tabulæ quoque Septem-Virali significetur juxta §. 88. Donec ad notitiam Creditorum hinc inde latentium deveniat. Donec denique hi compareant, Nomina sua, et actiones profiteantur relate ad §. 87. Liquidationes instituant cum Curatore ad Lites §. 89. ad invicem mutuas disceptationes de qualitate Obligationis; Jure prætensi debiti, Ordine classis, superent, inviantibus Paragraphis 91. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 105. Eousque Debitor redendo potest Fundo abuti, talem diminuere, involvere cum gravi elusione Creditorum. Ita etiam Curator ad Lites ex ratione trahendi longius Salarii, sponte causam remoraturus, Substantiam, ejusque Proventum extenuare, quæ alias pro excontentatione majoris Partis Debitorum, ac Interusuriorum servire potuissent. Hinc patet ex practico effectu. Quod Lis ista ratione liquidi Debiti (quæ alias summi Compendii præ omnibus reliquis esse deberet) longissimæ sit ætatis. Ita per exquisitissimæ, et a longe petitæ subtilitatis Articulos adpromptata, quod sub specie fucatæ provisionis, accelerationis, præcautionis majorum expensarum pro Creditoribus adinveniendæ, omnia recte contraria sint adinventæ, Creditoribus semper jacturam temporis, quæsitæ sui, pati coactis. Ipso vero Debitor, ac Curatore, inter duos litigantes ludere, gaudereque Valentibus. Cur tanta Cereemonia, tanta temporis perditio! Debitor semel in defectu constituto, nec moræ amplius nectendæ sunt

Negotii, nec expensæ expensis accumulandæ; quia Fundus per hoc Debitoris semper magis atteritur, imminuitur, oneribus autem crescentium Interusuriorum, et expensarum inaniter gravatur cum injuria diutim crescente Creditorum. Quamprimum Debitor intricatus esse; non posse solvere incumbentia onera depræhenditur. Talem ad delationem cujuscunque Creditoris, Judex competens citare, et ad juramentalem Revelationem omnium passivorum onerum trahere possit, præterea statum ipsius activum illico conscribi, et condigne æstimari curare valeat. Et si prodeat (Facta passivi Status cum activo combinatione) Debitoris substantiam æquare onera, tanto magis si exæquent, ad concursum immediate brevi manu convocet, revelatos, aut secus cognitos Creditores. Interea vero substantiam Debitoris totalem mobilem, et immobilem conscribat, sequestro afficiat. Creditoribusque constituto Termine concursus in forma summarii Processus juxta præferentiam Juris, Justitiam administret. Si porro fundum superabundantem apud declaratum Debitorem repererit, a Concursu provocando superfedeat quidem, sed recurrenti tamen Creditori uni, vel pluribus satisfactionem realem eadem statim occasione procurret. Justa petenti nunquam est denegandus assensus, eo minus iniquæ conditiones, et incommoditates causandæ.

§. 85. Non exprimitur; num Lites, ante concursum excitatum, contra Debitorem motæ, ac forte a finali jam sententia aut ipsa executione pendentes, ultro valide procedere valeant ad effectum? Si autem tales ipso Facto etiam suffocandæ intelliguntur, dispositio evadit, injustissima ideo 1) quod Creditores ejusmodi duplicibus graventur expensis, et inanibus, nec sperari va-

lente forte talium rehabilitatione ex defectu Fundi. Moram nocivam patiantur iusti sui quæsi per novam Inviationem ad Judicem concursus. 2) Diminui, aut penitus interea involvi possit fundus Debitoris. 3) Debitor citatus hinc inde jam per suos Creditores, possit sponte arripere remedium hoc excitandi concursus, colludere cum novis aliquibus dolose subordinandis Creditoribus, Curatore ad Litem; ut per protractionem Negotii diuturniorem bonis uti, talia exhaurire plene valeat, cum elusione suppressorum prævie forma hac Creditorum. Porrigitur occasio Paragrapho isto Fraudum quam plurimarum, et grandium Nocumentorum, ubi alias Lex omnis justa, acutilis esse debet. Jura Vigilantibus, et illis, qui priores sunt tempore, favcant oportet.

§. 86. Statuuntur perniciosæ circumstantiæ pro Creditoribus: 1) est per constitutionem Curatoris ad Lites, hic statim diminutio proventus Bonorum Debitoris (qui cæteroquin pro exolutione Capitalium, vel Interusuriorum; aut aliarum processualium Expenfarum servire posset) defigitur. 2) Per novam protractionem Negotii, donec nempe Creditores concurrant, concertent, convenientque mutuo, vel non, de constitutione Curatoris ad Lites. 3) Per dictandam exclusionem Creditoris illius a Bonis Debitoris existantibus (quatenus ea a Creditoribus comparentibus exhausta fuerint) qui semet certo, ac præstituto die non insinuaverit. Creditorum unus, vel alter potest multis ex occurrentibus in praxi circumstantiis noticiam rei non accipere, vel propter complura in Statu humano contingentia Impedimenta pro Terminò non comparere, neque ex parte sua dispositiones eatenus facere. Ergo propterea amittat justum suum quæsitum? Non possit amplius

Lite super inscriptionali (Bonis forte Debitoris, per reliquos Creditores collusive, vel excessivo Calculo exhaustis) in substantia tali plura adhuc onera recipere queunte, satisfactionem suam obtinere?

§. 87. Prodit clare; quanta Negotio huic remora sternatur, dum Terminus Nominum saltem, et Actionis professioni per Creditores fiendæ, conceditur Medii Anni. Quantum tempus aliæ præterea ceremoniæ, ac circumstantiæ Processus hujus concursualis exhaurire possint, practica, sentataque mens cujusvis Juristiæ concludere potest.

§. 88. Quam longa sit; diversis impedimentis obnoxia ceremonia, nemo non videt. Quo usque Tabulæ Septem-Virali res innotescat, hæc vicissim omnibus Regni Foris significet; Processus vertentes jam contra Debitorem sistantur. Donec Tribunalibus Appellationum pro vicinarum Germanicarum, per hæc vicissim subalternis Foris, notitiæ detur, ad Creditorum omnium, jam longius diffitorum; jam absentium per primi Libelli personaliter fiendam communicationem, cognitionem deveniat; Manus operi causæ concursualis admoveatur, processus infinitis ambagibus, et disceptationibus per diversa Nova inventa expositus supperetur. Creditoribus semet prima vice insinuantibus, pro eo; quod ante alios evigilaverint; Credita sua recipere voluerint (quia vel securitatem amplius apud Debitorem non viderunt, vel mutuo datis pecuniis eguerunt) mora novis expensis, fatigiisque adhuc plectendis.

§. 89. Si Curator ad Lites constitutus, interessatus fuerit, aquirendi cupidus, potest cum certa parte Creditorum colludere subtilissime, quin observari, depræhendique possit fraus, injacturam aliorum. Si inquam Salarium Annuum emensum

habuerit. Nunquam accelerare studebit causæ negotium, pro spei semper dubiæ, et a resolutione incerta pendente sui renumeratione. Hoc omnis verum esse agnoscet, qui affectus, proprietatesque generis humani expertas habet.

§. 93. Inter alia ante omnes reliquos Creditores, ponendam præscribit prætensionem Curatoris ad Lites, et Bona. Hic clare prodit destinata indiminuendam gratis, et absque omni necessitate Substantiam Debitoris, ac exhauriendum per hoc fundum Creditorum.

§. 94. Cur non sunt defixæ expensæ illæ necessariæ, pro sepultura oberrati, non secus expensæ in Lucrum factæ. Hæc debuissent pro ratione conditionis oberrati definiri, et non res confusa, indecisa, disputationibus inanibus, per hocque nocivæ Litis protractioni relinqui.

§. 96. Confusissima, et meris disputationibus obnoxia constitutio ordinatur ratione usurarum, quoad Debita a 1. Maji 1786. contrahenda, ita ut fixum principium pro Litis præferentialis Systemate statui nequeat, Lex omnis claritatem, et certum scopum habere debet.

§. 97. Est ne hoc justum? Ut Fiscus, quoad Taxas pro Officii Decretis prætensas, ad tertiam Classem ponatur, et ad quartam Debitorum Chyrographarii, quoad mutuo datas pecunias rejiciantur.

§. 98. Unum confusum 96. §. per aliud confusum hujus §. deciditur.

§. 99. Creditores Chyrographarii damnantur ad quartam Classem respectu mutuo datarum pecuniarum. Fiscus autem respectu prætensionis pro Decretis Officii, collocatur ad Classem tertiam. Nuda Donationalia, et pura inventa, nullam Legis, et æquitatis assistentiam habentia, præcedentiam

tiam ut accipiant, mutuo levatis, in necessitate datis pecuniis, nec rationi, nec Justitiæ cohæret. Ad sextam Classem §. 101. ejusmodi Fisci præten- siones relegare, dicat æquitas ingenua.

§. 100. Dispositio, cum §. 96. 98. §. 99. quo- ad Creditores simplices Chyrogapharios, decisio- ne, conciliari nullatenus potest in eo, in quota nempe Classe, et qualia illa Debita specificè a I. Maji 1786. contracta, collocanda veniant.

§. 101. Dicitur in fine; *Utrumque vero hoc prætenfionum in hac Classe (seu sexta) tunc solummo- do collocandum est, cum eidem pignore, vel hypotheca cautum non sit.* Si ergo sit eidem pignore, vel hypotheca cautum, ad quam Classem spectabit Do- natarius Debitoris, aliive titulo lucrativo, ex mera Debitoris libertate venientes Creditores, non secus Fiscus pro multis sibi adjudicatis? Jam au- tem intellecto hic sensu illo: quod pro casu cau- tionis pignoris, vel hypothecæ prætenfionis hic intellectæ ad altiorem Classem collocari debeant; Injustissimum disponitur: Ut tales cuicumque mu- tuo dato Capitali, sive intabulato, sive non; mer- cedi legitime competenti, vel in minimo genera- liter noceant præcedentia sua.

§. 107. Eadem injustitia statuitur, quæ §. 86. per exclusionem nempe Creditoris in Termino per Edi-ctum præfinito, Actionem suam non denuncian- tis. Imo ut Creditor talis, qui vicissim Massæ aliquid debet, sub Jus solutionis cadat, ille ta- men prætenfionem suam, cujus insinuationem præ- termisit, amittat. Ubi alias omni Jure, in omni- bus aliis causarum speciebus conceditur, specia- liter vero in hac Materia Debiti pecuniarii Cap. 5. §. 69. *Jus Reconventionis; Mutuus Partium Lite agentium Computus, et Jus Compensationis reci- proæ, ad evitandam per hoc Litium multiplicati- onem.*

§. 108. Præscribitur: Ut qui Jus prioritatis sibi competere existimaverit, is intra dies 30. a die publicatæ Classificationis computandos, adversus reliquos Concreditores Actionem prioritatis instituere debeat, ac simul inseparato tamen Libello suppliciter petere; quatenus Judex pro constituendo communi Advocato diem constituat Creditoribus. Jam 1) quare hoc posterioris petitionis membrum? non posset includi statim Actioni prioritatis? sed entia sine necessitate multiplicari debent. 2) Dicitur: Actorem talem, qui negligit erigere intra tempus præscriptum Actionem suam, amittere Jus prioritatis, non deciditur autem clare, cujus prioritatis Jus? utrum illius, quam ex elaborata jam classificatione nactus est, vel illius, quod sibi ultra classificationis opus competere adhuc præten- dit? Non deciditur, utrum amissio illius prioritatis, vel sententiam Judicariam decerni debeat; vel per Decretationem saltem publicandam; Num amissio illa prioritatis in perpetuum fiat, aut beneficium Novi, quod Restitutio in integrum nunc vocatur, adhuc eidem tamen supersit? 3) Ex §. hoc manifeste etiam prodit: Quod Lites tantum multiplicentur, sine ratione. Cur enim Creditores non possent Negotium ad invicem concertare, concludere, Judicio plene submittere, intuitu prioritatis Juris, antequam classificatio talium elaboretur, ac publicetur, ita ut amplius nihil restet, quam appellata non contentorum, ac dein realis Executio. Ut res tota breviori manu, et quo celerius deffiniatur, sed debeat novis, et novis interjectis circumstantiis, obicibusque Justitiæ administratio retardari, præcipue si consideretur Dispositio.

§. 109. Per quem admittitur, Actionem prioritatis erigere volenti, triduo ante lapsum Terminum Dierum 30. dilationem novam implorare. Præterea:

§. 110. In quo vicissim admittitur Creditoribus inanis, et protractiva saltem Negotii, respectu eligendi communis Patroni, disceptationis occasio. Quare hoc non posset statim ante elaborandam per Judicium Creditorum Classificationem disponi. Ut Convocati juxta §. 84. pro concursu Creditores per Edictum, illico pro definito Termine, singulus Creditorum Jura sua clare liquidata, et deducta præsentet Judicio, ex cujusmodi Liquidatoria deductione prudens Judex, Juriumque gnarus, sciet jam decernere citra ultiores Ambages, quod Debitum, secundum qualitatem suam, Legisque dispositionem, qualem Classem solutionis suæ una cum Interfusorio, vel sine hac ingredi debeat? Concurrit ad prolongationem diuturniorem Negotii etiam:

§. 111. Per concessam rei, per plures homines multiplicationem, utpote creandum eatenus distincte communem Densorem, plures scripturas, Terminos, disceptationem; ac singillativam super quavis quæstione ferendam sententiam.

§. 112. Curator Bonorum constituitur cum obligatione; qualiter Bona administrare debeat, injuncta, interim nihil attingitur, qualem Mercedem, qualiter appropportionandam, relate ad qualia, et quanta Bona, per quem solvendam habeat?

§. 113. Non disponitur: quis Creditorem Bonorum post lapsum Terminum, insinuandis Nominibus assignati, pro interim constituere debeat? Num Debitor, vel Creditores concursum excitantes cum exordio, aut Judex, aut denique Curator ad Lites?

§. 114. Præscribitur: quatenus confanda e Numero Creditorum Deputatio elaboret; cui rationes administrationis quorannis Curator Bonorum reddat. Quare hoc jam decidi non potuisset statim: Ut ratiocinium tale Judicio causæ competenti exhibeatur provisione, ac discussione tam Judicii, quam om-

nium partium ad rem intereffentiam habentium, sed novæ disceptationi, ac remoræ circumstantia relicta est. Prout apparet ex

§. 115. Qui occasionem præbet ipso facto constitutionis suæ, Creditoribus in eligendum Curatorem Bonorum, vel ordinandam deputationem consentiendi, vel non; præfixosque eatenas Terminos circumducendi.

§. 116. Dicitur: *Immobilia vero Nobilitaria, siquidem alioquin æstimata sunt, ad futuram reparationem reservato.* Ex obscuritate §. hujus nihil prorsus colligi potest: quæ Immobilia *pro Nobilitariis* statui debeant; Num pignoratitia Bona, vel hæreditaria, aut utraque simul? qualiter æstimata haberi debeant; Num ab investituris, vel proventu Bonorum, aut reperiendo, pluriumque offerente Emptore. Quis factum hoc manipulare, conficereque debeat? an Creditores, Judex, vel Curator Bonorum? aut omnes insimul! Denique tam in hoc, quam subsequis aliis omnibus §. usque 125. inclusive non aliud est, quam summa obscuritas; Confusio protrahendi in longissimum tempus Creditorum exolutionem, et imminuendi interea Fundi concursualis occasio, ita ut nullum fixum Systema in re tota statui, nullus modus, negotium breviter expediendi videri possit. Compilatore hujus operis, nec materiam hanc Processus Edictalis (quamvis alias solam, optime scivisse videtur, et ideo per longum, et latum deductam) ad bonum pedem collocante.

## CAPUT X.

## De Processu Rationario.

§. 126. Statuitur ; Ut Dominus Officialis æconomici , post exactas ab eodem Rationes , si subvesetur periculum , sequestrum judiciale rerum ejus mobilium petendi facultatem habeat. Non rationabilis hic constitutio dupliciter subvertatur. 1) in eo ; quod non concedatur Jus Domino ipsi , viso semel ex Rationibus periculo , substantiæ immobili Officialis sequestrum imponendi , sed per petitionem judicalem , longis ceremoniis fiendam , exhibeatur occasio interea officiali , sibi male conscio , regressum Domini simpliciter eludendi , aut per occultationem , translationem , aut vero per distractionem rerum Mobilium ; ita ut Domino tali , præter rationes præ manibus habitas , nullus amplius Fundus manere possit. Quare non posset hoc admitti Domino , omni Jure , ac ratione competenti erga servum , ut depræhensa semel ex præsentatis Rationibus maleversatione , vel culpa negligentia ipse Dominus cum influxu proximioris Magistratualis Personæ , Notarii Localis , præsentiaque ipsius Officialis , statim res ejusdem Mobiles conscribi facere , et in sequestrum proprium summere valeat ; Uno exemplari Originali conscriptionis , sub subscriptione Domini , ac Magistratualis Personæ , Juratique Notarii Localis , semper Officiali eidem usque decisionem negotii extradrare debente. Alio vero sub subscriptione Magistratualis Personæ , Notarii Localis , ipsiusque Officialis penes Dominum pro Cautela sua remansura. 2) Quod nihil disponatur de substantia Immobili Officialis rationantis , imo circumstantiæ hæc simpliciter excludi videatur. Quid si hic  
nul-

nullas, vel exigui valoris res habuerit, sed Fundum potius immobilem. Ita ergo pro cautione Domini assummi nequit in sequestrum? Iste potest, per Officialem præsentatis semel rationibus tute vendi, aut dissipari? Valde bene prospectum est per constitutionem hanc conditioni Dominorum!

§. 127. 128. 129. 130. 131. Combinatis ad invicem de procedura causæ hujus dandarum, aut exigendarum Rationum dispositionibus, prodit una intricis, prolongationibus, et gravioribus expensis plena partis utriusque methodus in sequentibus: 1) Quod cæptum semel in Exactoratu Domini Negotium, quin plene definiatur, iterum ad aliud Judicium, noviter quasi inchoandum transponatur §. 127. Non est enim supponendum facile: Ut Officialium æconomicorum quispiam, etiamsi convictio Domini justissima fuerit, eadem contentetur, ac hujus intuitu quærelam coram alio Judice non moveat. 2) Dicitur §. 128. Ut ad postulatum Rationes exhibentis, injungatur Dominio quatenus Rationes vel approbat, vel defectus accuset. Constituendo (utraque parte prius audita) eatenus per Judicem Termino; Non præscribitur autem per qualem Judicem, utrum sufficiat per Judicem Nobilium, vel per Assessorem subalterni Judicii, aut Auscultantem ipsius, vel denique per Tabulam Districtualem, aut Auscultantem hujus debeat res institui. Quando? utrum tempore exhibitæ statim rationum, injungendum hoc sit Domino? vel post moram, diutiusque protractum Negotium? Non definitur specificè; qualis Terminus constituendus sit? Num ille differri successive possit, ad postulatum unius, vel alterius partis, sicut alii, et in cæteris Negotiis processualibus, vel non? Quid faciendum sit in casu illo: Si utraque pars propter absentiam, aut renitentiam

haberi nequeat, ac respectu ordinandi Termini audiendi. §. 128. Concluditur: *Ut idem Juris sit: si Officialis Convictionem sibi a Domino extraditam, minus justam esse prætenderet.* Dispositio hæc non cohæret præcedenti §. 127. Ibi enim statuitur, *cum Officialis intra trium Mensium Terminum coram Judice nullam quærelam moveat* (seu respectu convictionis Domini sui, relate ad exhibitas Rationes) trimestre spatium, hic autem *circumstantiis accomodandum*, consequenter indeterminatum tempus ordinatur. Quis ergo §. in circumstantia hac observandus veniat, dubium manet! §. 131. Præscribitur: *Qualiter super objectis defectibus explanationes.* Super his ultiores objectiones, ac denique ultimæ explanationes fieri debeant. Interim nihil disponitur determinate: intra qualem Terminum res hæc præstari debeant. Num §. 127. reflexum trimestre spatium quoad omnia observandum veniat, aut quoad singulam rem particulariter? Num ab arbitrio, et conclusione mutua partium, vel decisione Judicis Termini constitutio juxta §. 128. dependeat? §. 129. Officialis Censuratus usque lapsum Trimestris Spatii defectus accusare debet coram Tabula Districtuali. Ille venit eorsum, Actionem erigit, recipit decretatam etiam, sed illa, vel propter Exhibentem morosum, vel propter absentiam Domini (cum personalis Exhibitio fieri nunc debeat) non venit usque effluxum trimestri ad Exhibitionem. Interea ergo Executio peragitur ex parte Dominali contra Officiale Censuratum. Quid in casu hoc agendum? Qualiter providendum Officiali quærulanti? Executio habere ne debet suum ultro vigorem; vel non? Qualis confusio ex imperfecta, et ad omnes Angulos haud excussa ordinatione? Cur hæc breviter, et clare decidi non potuissent sequenti modalitate.

Dominus habens Officialem, rationesque ab eodem exigere volens, si tales amice monitus, præstare nolit, illico habeat Jus, substantiam ipsius univèrsam attacta superius modalitate in sequestrum Judicarium summendi, et hac occasione statim cum Inventario substantiæ Mobilis, et Immobilis Domini; non secus adjuncta Instructione eidem cum exordio servitii data, ad exhibendas intra 30 dierum spatium rationes judicialiter admonendi; si a die factæ admonitionis præviæ (recipiendis super eo Testimonialibus) rationes non exhibeat, per contumaciam in petitis Domini convincatur, et exequatur, salva Officiali extra Dominium novifandi facultate. Si porro Officialis præsentet rationes suas, a die vicissim præsentandarum Rationum intra 30 dierum spatium, Dominus super his responsa statuere obligetur, secus rationes pro approbatis haberi debeant, ac Officialis Rationans, nec sequestrum ullum, nec convictionem aliam (nisi quam ipse in Restantia sua ne fors proprio Ratiocinio consistetur) pati, vel denique detentionem sui in Servitio, aut substantiæ suæ qualiscunque tollerare debeat. Salva Domino contra eundem successive, via Juris ordinaria extra Statum omnem securitatis prioris agendi facultate. Datis autem difficultatibus cum Terminò 30. dierum Officialis Replicas intra quindenam a die receptorum difficultatum statuere teneatur, vicissim Dominum, ad has dupplicatas intra eandem quindenam præstare. Denique ad has finales Triplicas Officialis præviæ per totum modalitate exhibere obligetur, sub pœna confessi, adprobatique facti. Dein Decisiones per Judicium Dominale finales dictentur, cum, vel sine injungendo simul pro ratione circumstantiarum visi periculi, usque ulteriorem Processus superrevisionem substantiæ rationantis sequestro; Decisionesque hæ ante omnem fiendam Executionem in Sedria  
 Co-

Comitatus Copertæ includendæ, cum Actis univ-  
 erſis præſente parte utraque intereſſata, vel Manda-  
 tario ejuſdem, ac utriuſque Sigillo muniendæ, per  
 non contentam, appellantemque partem Sedriæ ex-  
 hibebantur intra quindenam. Negotio ſecus in rem  
 adjudicatam tranſituro, dein a dato præſentationis  
 intra 30. dies ſuperrevideri debeant ſub onere Re-  
 ſponſionis. Salva Parti gravatæ a Sede Judiciaria  
 extra Dominium ulteriori appellata.

## CAPUT XI.

### De Probationibus.

§. 133. *Præſumptiones, quibus Lex ſpecialem vim non attribuit, a Forma probante rejiciuntur.* Quæ igitur ſunt illæ præſumptiones, quibus Leges vim ſpecialem non concedunt? Qualiter conſiderandæ ſint præſumptiones in Materia Criminali, et in pure Civili? Nihil clare deducitur. Nulla ex diſpoſitione hac, determinata, et proficua colligi poteſt regula, doctrinaque. De hac materia opus fuiſſet ex profeſſo tractare, cum Leges eatenus nihil certi decernant.

§. 134. Prohibetur Judex ab injungenda, extra caſus in hac conſtitutione expreſſe præſinitos, Partibus Litigantibus, qualicunq; ulteriori probatione, vel tunc, poſtquam Partes Jus ſuum jam edocuerint, improficua æque, ac confuſa Diſpoſitio ideo 1) quod caſus illi præſiniti non declarentur, qui ergo ſint ſpecificæ. 2) Quod otioſe attingatur illud: poſtquam Partes de Jure ſuo docuerint. Si enim Partium quæpiam Jus ſuum docuit jam, ut quid ipſi proba ulterior imponatur, niſi malitioſus, et ſtupidus ſit Judex. Ad hoc autem: Ut ſciat Judex in Materia hac, quando Pars aliqua, et in qua-

li objecto, specieque processuali sufficienter doceat Jus suum, debuisse res circumstantialiter deduci. Statuere namque prohibitionem aliquam, et non defigere casus específicos, ac Limites Negotii sapit factum improficuum.

## CAPUT XII.

### De Probatione per Confessionem.

§. 135. Habet pro principio : quod si pars una, partis adversa assertum in **Judicio** confiteatur, circumstantia talis pro plene probata habeatur, consequenter inferre quasi vult, Partem asserentem ab omni ulteriori probatione jam relevari interim non decernit, confessio ejusmodi scripta ne, vel oralis etiam hic intelligatur. Magna porro distinctio est inter has duas Confessiones. Nam scripturae Confessionis, testimonium est ipsa Confitentis scriptura, ita ut legitimatione ulteriori opus non sit. Oralis autem hunc effectum producere nequit. Cum **Judex** Testem Confessionis factae, et **Judicem** simul causae agere non possit, communi Legum, et Juristarum sensu. In tali proinde casu pars asserens Confessionem coram **Judice** factam, per aliud aliquod probae medium docere debet. Dein non distinguit Confessionem judiciale, per ipsum Causantem factam, aut Mandatarium Causantis, ejusque Tutorem, vel Curatorem. Prima enim revocari non potest, velut factum proprium. Secunda vero revocari potest tam **Legge Regni**, quam etiam **Indultu Paragraphi** subsequi 136. Item non ponit discrimen inter Causantis Confessionem **Judiciale** Fatentis, etatem perfectam, et imperfectam; prout etiam **Mentem** integram, et insanam; **Aetatis** enim imperfectae,

vel

vel mentis deffectuofæ Causans, Confessionem Judiciale[m] etiam fi faciat, pro argumento probæ nulla Lege, ac æquitate ftatui potest. Denique difcrepantia etiam fieri debet inter Confessionem judiciale[m] in cafu Criminali, et pure Civili. Hæc potest partem adverfam, ab ultro probando fublevare. Illa vero non fecus, nifi circumftantia quæ Criminis, cæteroquin Confefſioni Rei juſte, ac per omnia cohæreant. Multi enim Rei metu, nimia imbecillitate, desperatione, confuſione fui, per captioſas nefors Judicis quæſtiones, aut promiſſione Indemnitate, vel denique ex deffectu Mentis, poſſunt factum Criminis confiteri. Quin tamen Confefſio in merito ſuo reali pro vera haberi poſſit. Exempli Gratia: Conſiteatur aliquis Hungariæ Civis ex præviæ attacktis incidentibus, ſemet Eccleſiam in Austria effregiſſe, ſacris Vaſis ſpoliaſſe. Interim ex circumſtantiis ab oppoſito investigatis, prodeat talem nec ſcire, ubi fit Austria, nunquam hunc vel ibidem fuiſſe, nunquam apud hunc, vel vaſa ſacra viſa fuiſſe, minus per eundem vendita alicubi, aut pro uſu ſuo converſa exiſtiſſe. Recognoscat Vir ſemet Uxorem ſuam occidiſſe, Corpus interim delicti, ſeu Cadaver vulnere occiſæ Conjugis nec habeatur. Potuit enim Uxor aquis mergi aut Maritum ſuum ad partes longinquas eundo deferere.

### CAPUT XIII.

De Probationibus per Instrumenta, ſeu  
Literalia Documenta.

§. 151. Præſcribitur: Quod producens in cauſa Documenta Literalia, adverſario exactam, et diligentem Inſpectionem Originalium extra Judicium

cium permittere teneatur. §. 152. Vicissim disponitur; quod si inter Communicata extra Judicium Documenta quæpiam dentur, in quibus vitium visibile depræhenditur, talia per utramque partem obfignari debeant, ut pro subsequo Judiciali Recognitione, in eodem statu, in quo per extrajudicalem Inspectionem reperta sunt, absque ulla mutatione exhiberi queant. Jam! Si procedens Documenta; eorundem Originalium Communicationem extrajudicalem faciat quidem, sed talem apud se tempore, aut loco, sufficientem lucem non habente præstet, Originalia extra Domum suam dare nolendo, vel vitiosum forte depræhendendum per Adversarium obfignari facere nolit, ex sibi optime cognitis reflexionibus, ac præcautionibus eatenus subseque fiendis. Quis Judex circumstantiarum harum? Qualiter prospiciendum Adversario? Respondebit hic aliquis: Inspectio Judicialis petenda ex §. 153. et hæc erit omnium medela. Inspectio illa Judicialis, secundum novum Ordinem hunc experientia teste talis esse solet: quod ad petitum Partis unius, alteri ordinetur tempus breve juxta §. 154. pro Inspectione Judiciali. Die constituto compareant, Advocati Partium Lite agentium ad Sessionem, petensque Inspectionem Judicalem Documentorum, breviter semet expediendum habeat cum observationibus suis oraliter proponendis contra Documentum unum, vel plura. Qua occasione; si non sit celeris ingenii; nimie præsentie, magnæ experientie, notæque rerum personarum, temporum, scripturarum, styli, subte combinationis, facundæque, ac claræ observationum suarum explanationis Advocatus, per Adversarium suum, majoris forte dexteritatis virum, Documentum defendentem, confunditur, evertitur, parum, aut nihil efficacia producendo, imo partem contrariam suis reflexio-

ni-

nibus nefors ad remonstrandam falsitatem Documenti servientibus, ac detegendis, præcautam magis faciendo, ad imponendum tempestive effectum probarum prævisarum, quoad falsitatem Literarum statui queuntium. Instrumenta falsa, quia fiunt a potiori non per stultos, sed homines vafra, providæ, practicæque mentis; quia præmeditate fieri sveverunt, tardius post casum, demortuis interessatis ad rem personis produci, opponique solent, non per functoriam, non brevis temporis, tumultuariamque Inspectionem requirunt, ad cognoscendam eorundem falsitatem, sed attentissimam, longioris moræ, subtilissimam; maximique Judicii, jam cum Sigillis, eorundemque Zonis, Scripturis, Historia, Stylo temporum, Charta, Pargamena, Lamina, Situ Locorum, Qualitate, Vita Personarum, in Documento mentionatarum, vel subscriptarum, Dato emanationis fiendam Combinationem.

Accidit namque casus; quod in certa causa, contra Actoratum Causantis inductum sit per adversarium Advocatum, hominem alias Ignobilem, Instrumentum Literale Divisionis de Anno 1542. quasi peractæ, ita adpromptatum, quo tam personalis, quam realis Actoratus peremptus fuisset ex fundamento. Productum est ad Processum primum imparibus, per procedentem Judicem etiam cum Originali prævie collatis. Res improvisa, et recte totum quæsitum processuale ex fundamento evertens, concutit animum Actoris. Ex concertatione universonum Actoreæ Partis Fundamentorum, ac Literarum colligi præsumptione summa potuit. Documentum oppositum falsum esse debere. Petitur ergo improprocessuari Originale, quo per sententiam Judicis injuncto, Parti primum renitenti, sed extra processualem, dum, et quando communicationem, ad speciem offerenti. Discussaque qualitate, interna,

et externa Originalis per omnes exquisitissimas circumstantias ita omnia cohærebant probabili realitati Documenti, quod nullo prorsus motivo, ad arguendam falsitatem depræhensio, jam non aliud; quam condescensio Actoratus ex merito expectanda fuerit. Tandem incidit Chartæ adhuc, altissima luce meridiana Solis in sequentem diem fienda ad vitrum fenestræ inspectio, quale Insigne habere possit. Insigne fileræ observatum delineatur genuine, petiturque per Partem Actorem dilatio in tempus commodius forma pristina processuali. Nullo vel signo dato moliminum quorumpiam. Interea discursantur omnes molæ papyraceæ per vicinos sibi tres Comitatus existentes. Inquiritur diligentissime insolitum cujusvis scutum. Reperitur simile molæ unius in abstruso loco, et ab Annis tantum 12 erectæ, cum æqualis recte Chartæ longitudine, latitudine, ac specie, qualem Instrumentum referebat. Empto Libro uno Chartæ præallatæ, acceptoque fide digno Testimonio a Domino Terrestri super Anno erectæ primum Molæ, interrogatur ad extremum Papiropega: Num noscat talem, et talem Causantem, vel Advocatum? qui respondit: se Causantem quidem non noscere, sed Advocatum bene; velut chartam in specie ante Menses quatuor apud se ementem; Super hac circumstantia, accepto æque Attestato; tandem ex ulteriori in Scribam Documenti Investigatione prodit: quod præcedaneus Advocati ejusdem Amanuensis, sciens Gothicum Characterem accurate imitari, ex Commissione sui antehac Principalis, in specie Documentum illud, ex Conceptu Principalis sibi dato, Gothico Characterem scribere debuerit sub Juristio clausus in Cubili Principalis. Confitente hæc omnia scripto, imo etiam Exemplar Characteris sui Gothici dante Scriba. Reflexorie citatur dein Pars adversa, præscitisque omnibus jam  
 præ-

præparatoriis, sola citra suum Advocatum comparet pro Termino, ac metuens inhære pristinæ defensionæ suæ, rem totam, quoad Substratum processuale, ac expensas privative accomodat cum plena, instantaneaque Actoris satisfactione; Advocato intra exiguum tempus ad pœnam Silentii ex Confectione falsi Documenti citato, et intra novem Menses factæ sui Evocationis decedente.

Ex casu isto, prudentibus cæteroquin, practicisque Juristis tantum proposito, ac per ipsos duntaxat penetrabili; Judicet nunc omnis: Utrum provisio in Circumstantia hac novi Ordinis Judiciarii Negotium simile occurrens juvare possit? dum omnia præcipitanter, præcociter, sine omni efficaci dispositione ordinantur agenda, in Materia probationum per Instrumenta, Literaliaque Documenta, præcipue: si reflectatur subsequus §. 153. Inspectionem Judicalem Documentorum Originalium, intra dimidium Terminum pro scripturæ, seu responsi præsentatione statuti, idque non tardius, quam intra triduum post decursum dimidii, ejusdem Terminum, secus Originalia (etiam si forte falsa manifeste depræhendantur) præclusa ulteriori Contradictione sincera habenda sunt. Tempus istud vel pro expendenda bene adversæ Partis Intentione: exquirendo ad causæ defensionem Advocato (ex parte Rei Conventi hic loquendo) non sufficit, minus ut per tale, Documentorum per Actorem forte Actionali Libello inparibus adnexorum, falsitas eruderetur, occasioneque dici judicialis, vitium jam visibile Documenti, fundate detegatur, pro præcautione adhuc Partis falsum Instrumentum producentis utili Excipientis autem contra illud nociva, propter diversos obices, ac præventiones, in facto statuendarum de falsitate Instrumenti subsequæ probarum fieri valentes.

§. 155. Dicitur: Ut facta inspectione Judex super dorso Libelli diem judicalem Petentis, et Obtinētis, *accurate, perspicue, exprimat*, qualia sint suspecta, qualia sincera Originalia! Interim universa præ Manibus Exhibentis relinquuntur, nisi Pars adversa petat, suspecta Documenta, ut in Judicio deponantur, usque causæ definitionem. Jam 1) Negotium deducendum committitur Personæ tali, quæ nunquam ex una visione Literarum, ex uno auditu Partium, earundemque disceptatione, in re hac, multas sæpe intricatissimas, improbi laboris observationum circumstantias involvente, ita perfectam Informationem habere potest, sicut pars adversa excipiens, cui inquam Judex nunquam ita punctualem, serio incumbentem, attentum Zelum, adæquate, clare, per omnes Angulos, animadversiones contra falsa Documenta delineandi sibi tribuat, prout Pars adversa. Qui denique Judex semet inviari, corrigi, non patietur, ex vendicata sibi autoritate, per Partem adversam. 2) Si multæ graves, adversus plura Documenta sint, longa, circumstantialique deductione egentes, observationes, quæ Fileras, et Fileras requirant, qualiter ista omnia intrabunt dorsum supplicis Libelli *perspicue*, vix forte decem Linearum scripturam recipiens. Et Sessio Judiciaria, quæ alios multos decidendarum causarum habet labores, ac illis pure occupanda esset, ne administratio Justitiæ aliorum Processuum protrahatur, his detinebitur? quæ Partibus collitigantibus directe agere competeret.

§. 156. Quamvis jam in Conclusionē præcedentis dispositum sit: *Ut suspecta Originalia ad petitum adversæ, usque ad definitionem causæ, in Judicio deponantur.* Iterum in confusionem prioris Decisionis præscribitur: *Quatenus hoc in casu, ambæ partes super quæstione, an Originale Controversum, in Judicio*  
asser-

*asservandum sit, nec ne? pro Jure dicenda depromant, quin tamen causa principalis attingatur. Judex vero detinens interea Documentum, an illud in Judicio custodiendum sit? decernat. Quid si Judex E. G. subalterni Judicii ita fuerit illuminatus pro Salario Florenorum 300. ut Documentum quamvis falsum, pro non tali, quamvis captivandum, et ad altera Fora pro ulteriori discussione transmittendum, parti producenti extradandum deciderit. Quanta hæc confusio; quanta pernitias parti adversæ? Cogetur ergo distincte eatenus quærulans ad Forum altius recurrere! Cum protractione negotii, cum gravi expensarum dispendio. Dabitur interea falsas Literas producenti tempus, modus, omnia subsumpta preveniendi, circumstantias alternandi, aut ne fors suspectas Literas supprimendi, ac pro deperditis Facto, aquis merfis, igne combustis statuendi, pœnasque legales hac forma evitandi occasio? Interim Pars Excipiens judicabitur, convincetur, exequetur? aut quid justî, in accedenti hoc ordinandum veniat? Cur non decidit N. O. J. ac ultro hæc non prævidit, semetque ad statuendum remedium non immisit? Dicatur mihi; quomodo Partes de falsitate Documentorum disceptantes ita agere possint, ut non attingatur causa principalis, cum Documentum jam ipsum tangat, et loqui soleat, debeatque rationabiliter de objecto causæ; Si una Pars falsum Documentum esse probet, debet utique inferre materiam, objectumque causæ, rem se habere rectam, falsa Documenta non posse nocere huic, aut alteri circumstantiæ; inapplicabilia esse, non evertereque situm litigantis, vel defensionem. Judex qualiter decernet Instrumentum esse falsum; vel sincerum, nisi attingat simul materiam Documenti, quæ utique objectum semper est causæ. Et cur Entia gratis multiplicentur? quare non possit Judex uno labore*

et Instrumentum pro falso, vel sincero declarare, et Actoratum simul realem, vel personalem stabilire, aut condescendere. Cum ad firmandum hunc cæteroquin per A. in evertendum vero talem per I. semper Documenti productio tendat. Imperfectæ hæ sunt omnes Constitutiones periculofam Confusionem, et præcipitantiam in se habentes, quoad Materiam præcipue talem, ex qua pendet salus sæpe tota, vel jactura Partis unius, et alterius; specialiter si excutiatur Paragraphorum sequentium 157. 158. Dispositiones. Quæ præter id: quod nihil clare, fixeque ordinent, nullam combinativam, cum præmissorum Paragraphorum circumstantiis, proponunt legenti directionem.

§. 159. 160. 161. 162. 163. Præscribitur: qualiter, et ubi Transumptum Documenti antiquati, fieri debeat? Jam si Possessor Documenti illius, coram *Loco credibili* transumptum fieri curare velit? B. G. Capitulo, vel Conventu; quis Judex legitime citans, erit in hoc Capitulo, vel Conventu, partem adversam interessatam ad discutiendum Documentum transumendum? quid sequi debebit? quali forma Processus, quale ferendum Judicium? Si pars citata non comparuerit? quid si in Capitulo illo, et Conventu nullus sciverit vel Leges Regni, tantominus O. N. Judicarium (cum munus ipsorum, hæc scire nec pertineat) qualiter discernet Partium disceptiones? Si Possessor Documenti, ac illud transummi facere volens, pro illo instanti nec sciverit, quæ sit Pars adversa interessata, ad Negotium, eatenusque citanda? propter Loci distantiam, aut Instrumenti antiquitatem; Nomenclaturarum Mutationem? Quomodo Res instituenda, si Pars interassata sit sub Tutela, Curatela. Num sufficiat Tutorem pro hac circumstantia citare; vel Curatorem? Aut res ad perfectam usque ætatem Partis interassata-

fatae proroganda veniet? Si plures Congenerationales fuerint; sufficiet ne: Possessores saltem objecti in Documento contenti actuales, vel Natu majorem Familiae, Literarumque Conservatorem citare, aut omnes Lineae homines, Possessores, non Possessores, Mares, et Foeminas, Viduas etiam citare oportebit? Denique si Pars interessata, et citata, pro actu transfumendi Documenti, tempore illo illiterata rudis, aut stupida, in Materia simili nunquam versata fuerit adeo; ut nec sciat, quid sit, quale Documentum, quid in se continens, quo tendens, tanto minus sciat valorem Documenti cognoscere, ac respectu hujus disceptare! quid in casu hoc faciendum? Denique si adversarii citati non comparuerint, pro facto; vel comparentes pro casu illo subito, nihil potuerint opponere, aut nihil sciverint? Documentum illud transfumendum tamen Originalis vim imbuet, indisputabile amplius erit? Erit ne hoc justum statuere?

## CAPUT XIV.

### De Probatione Ordinaria per Testes.

§. 164. Ratio libenter sciretur, quare nemo probationem per Testes sub defluo Processu instituire possit, nisi haec a Judice per sententiam indulgeatur; Extra judicialem tamen Inquisitionem, in forma scripti Testimonii, Natura causae id exigente in posterum quoque facere liceat. Cum aequalis, imo major ratio debeat esse Causantis, sub defluo Processu, Circumstantiam fors subito emergentem probare volentis, et coacti quam nondum fors ad Officium Judicis recurrentis, causamque erigentis adhuc, cum Justitiae debitae administratio illud erigat, ut integrum sit Causanti, uti adminiculis illis, quae ad fa-

lutem deffenſæ pertinent, et in talibus, vel facultatem petere admiſſionis, contra Jus fit deffenſæ Naturalis; ſecum trahat vel Intereſſentiam in admittendo, vel præcipitantiam Judici in non indulgendo. Deinde extrajudicialis conceditur Inquiſitio ſub Juramento tamen quod excipi non poſſit. Quid autem juvabit otioſa hæc proba, in Jure; ſi nec prius collateraliter Juramento firmetur, nec coram cauſæ Judici ſtatim authenticetur, et Teſtis forte optimus uſque cauſæ concluſionem decedat.

§. 166. Ordinatur: quod ſi probatio per Teſtes; ſive ſola, ſive cum aliarum probationum adminiculo, per unam, vel alteram Partium offeratur, plenam fidem mereatur; Et ſi circumſtantiæ probandæ Litem decidant, eadem Offerenti per ſententiam injungatur. Ergo a contrario ſequitur; quod ſi probatio per Teſtes ſemiplenam probam haud conſtituat, Offerenti admittenda non ſit. Quod Judex prius de valore probæ, dum nempe tantum offeratur per Litigantem adhuc, judicandum habeat; quam talem in ipſo reali effectu videat, ac experiatur.

§. 167. Admittitur Judici Articulos probatorios (qui ipſi nullius momenti viderentur; quorum ratio habenda non eſſet) rejiciendi facultas. Jam! quid ſi Judex ex Intereſſentia, vel ſtupiditate recte tales Articulos, qui plurimum ſervirent Cauſanti, Judici ejusdem, Notitiæque optima Negotii ſui, rejecerit? qualis hæc erit Juſtitiaæ adminiſtratio; Litis acceleratio!

§. 168. Teſtes damnatos propter Crimen publicum (*quod ex dolo, id eſt animo, alicui inſcio damnatum inferrendi, vel ex Lucri faciendi propoſito ortum fuerit*) a Teſtimonio rejicit. Porro

§. 169. Omnes damnatos de Crimine publico (*quod non ex dolo, vel Lucri ſtudio commiſſum fuerit*) viciliſim in defectu aliorum acceptandos præcipit. De hoc ergo iterum Partes diſtinctis ſcripturis diſ-

putent: Num non ex dolo, vel Lucri studio Crimen fuerit? Judex illud separatim decidat? Et quomodo decidet, nisi Processum Criminis discutiat!

§. 172. Videtur concedere appellatam a circumstantia adjunctæ uni, vel alteri Parti per Testes probationis. Quanta jam hæc, et non solita prius, Litis protractio; si considerentur præterea iteratæ ab omni sententia Judicatus, Instituti, Actoratus, impositæ Revelationis, aut adjuncti Juramenti Suppletorii, Purgatorii, Quæstionis circa Evictionem, super Evictionem, denique ipso Merito, novo hoc Ordine Judiciario assidue indultæ Appellatæ.

§. 174. Articulos super Juribus, vel obligationibus Partium, non admittit porrigendos, consequenter in probam, per Testes statuendam recipiendos. Sequitur ergo hinc; quod per Testes nec Pignus; juxta 82. iæ principia probari, nec solutio Auctionis datæ, nec facta depensio Interusurii, neque præstatio Servitutis alicujus, nec denique actus ullus recognitorius Juris alterius, legitimari valeat, qui sæpe ita bene per Testes probari potest, velut literali Documento, testante usu Judiciorum Regni, quotidianaque experientia.

§. 177. Connexe etiam ad §. 182. Dispositionem admittitur Testes in causa statutos, sive per ipsum causæ Judicem, sive per delegatum audire. Hoc prorsus inadæquate, ac ad rectam Justitiæ administrationem haud tendentis est dispositionis. Judex namque solus scit, scireque debet ex discussione Negotii processualis circumstantias rei vertentis coram se; quid lateat? quis sit directe Status quæstionis; ex Testibus eruendus; ad qualia specialiter in examine Testium reflectendum sit; qualia maxime cognoscenda, et illustranda, præcipue in causis Violentialibus, Repositoriis, Metalibus. Talia nunquam Delegato perfecte cognita esse possunt; neque

in

in Zelum, ac Laborem in his illum præstabit, prout causæ ipsius Judex, plenam habens Informationem. Ideo examen Testium nunquam per alium, quam causæ Judicem admittendum esset. Ideo usu Forensi Regni hujus, taliter res semper observabatur. Cum in unica sæpe circumstantia bene eruderanda, genuine exprimenda: præcipue in collisione Testium per contraria interrogatoria puncta; vel contra Inquisitiones statutorum subversante, salus tota pendet Causantis. Infelix fors Causantium augetur in materia hac, illo etiam incidenti plurimum: Quod plebs in Regno hoc a potiori tales, qui germanice sciunt, pro maximo merito, et habilitate obtinendi muneris, interrogari soliti; Num germanicam calleant? Non vero utrum præter Jurisprudentiam Idioma populo, causantibusque propria possideant. Quæ summe necessariæ sunt qualitates, ad intelligendum Causantem, Testem, ad rectam Justitiæ administrationem. Quam plurimi jam sunt tam Judices, quam subalterni horum, ad futurum Judicis munus destinati, qui nec Slavonicam, nec Hungaricam norunt. Quomodo jam talis Testem examinare sciet, fassionem ipsius depromere? Qualiter hunc intelliget; aut præmissorum Idiomatum documenta? vel si versa sunt in Latinum, quomodo discernet; Num Versio sit genuina? Pulchra depræhendi potest, sperarique magis valet pro futuro Justitiæ (per quam Regna subsistant) administratio.

§. 179. Comittitur: ut punita interrogatoria Generalia Testi proponantur occasione Examinis, quæ ibidem deducta habentur, et hoc in scopum illum; ut cognosci possit ex Fassionem Testis ad puncta hæc; num ergo interessatus sit pro inquire Curante, vel non? an Testimonium ejus pro vero, aut falso statui possit? provida Constitutio! Testis

utique si interessatus sit semel pro producente illum, seu consanguinitate, affinitate, seu comodo Litis expectato, vel damno ejusdem præcavendo, seu dato, vel promisso præmio, centies eatenus examinentur, nunquam de se hæc ipse recognoscet, neque tenetur ex naturali ratione contra se quæpiam confiteri, sed Parti adversæ, contra quam Testis ejusmodi statuitur, competit similia, admittique debet, legitimare vel producto quopiam, vel fassionibus contra Testem prout hucdum in usu fuit apud Regni hujus Judicia.

## CAPUT XV.

De Probatione ad perpetuam rei memoriam.

§. 203. 204. 205. 206. Excogitata est causæ species, pro nociva duntaxat in Statu Reipublicæ Litiu[m] multiplicatione, citra omnem necessitatem. Assumendo namque specificè in considerationem, reflexos in hoc objecto novi Processus casus; consuetudinis erat in hoc Regno: quod si quis in depositum dederat alteri rem aliquam bona fide, quin super eo recognitionem acceperit, semper humanum Testimonium super eo habuerit in probam depositi. Si autem tale non aderat, præsumptione duntaxat aliqua inducta, vel semiplena tantum proba statuta, Actoris quærentis aliqua Juramento deferebatur. In casu porro oculo, ubi nullum probandi modum Actor habebat, et negotium in causam attracto ita, prout Actori cognitum erat, Incatti Juramento deferebatur 27. 1729. negotiumque directe, et non per Ambages quærendæ prius probæ, via Juris dein distincte iterum movendæ, quoad rem ipsam Litis decidebatur.

Ita est quoad casum quemcunque Venditionis Fundi Immobilis: In Regno hoc: quamvis nunquam vel occurrere poterit circumstantia Venditionis alicujus, seu temporaneæ, seu perennalis sine scripto fiendæ, cum ex præscripto directo Legis, ac exigentia Ufus Regnicolaris, omnis Venditio (etiam temporanea, si 50. fl. summam æquavit) coram non solum Loco credibili fieri, verum etiam Statutione quoque firmari debuerit, usque ætatem Articuli 125. 1647. A tempore vero Legis hujus, Regnum hoc in Literis specialiter excultum, nihil unquam sine scripto, etiam dum conditionata quæpiam (prout §. 203. supponit) venditio subverfabatur, facere solitum sit, si tamen per inconcessum, circumstantia ejusmodi emergerat. Regnicola hujus semet juvat vel humano Testimonio, vel objecta notorietate Possessorii, antea per adversarium non habiti, vel oblatione, ac delatione Juramenti, vel denique occupatione ipsius rei antea propriæ, ac nullo remonstrabili per adversarium titulo usurpatæ, ponitque hunc velut mala fide agentem, ad reciprocum onus probandæ, ac per hoc ipso facto recognoscendæ venditionis, quin a longe petito per Ambages, profusionemque notabilium expensarum quaesito novæ hujus causæ remedio uti debeat.

In casu tertio §. 205. Quamvis nec supponendum facile sit, ut in Regno hoc, quis Debitum solvat, quin obligationem suam recipiat, vel quietantiam eatenus absolutoriam, et obligationis cassatoriam; per omne tamen impossibile, si casus contingere possit suppositus, exolvens se providere solet 1) proba, summæ Testimonii superfacta exolutione. 2) Admonitione Judiciaria erga percipientem pecunias, ad restitutionem vel obligationis, vel dandam eatenus Literam expedito-

riam,

riam, Testimonialibusque super eo recipiendis. 3) Protestatione publica, vel coram Comitatu, vel Loco credibili facta, cum deductione omnium factum contingentium circumstantiarum, receptis quoque eatenus Testimonialibus. Jam contra munitum taliter exolventem, moveatur Lis, ad repetitionem Debiti, intra 32. Annos a tempore seu contracti Debiti, seu factæ excontentationis computandos, provisionibus his probarum cum oblatione etiam ad casum nefors complendæ Legitimationis Juramenti, se alioquin salvat secuta processuali quoque absolutione. Post autem 32. Annos sola Præscriptio cæteroquin Lege Regni pro numero Litium minuendo adinventæ, rem totam, si nulla etiam occurrat proba alia pro Exolvente, aut ejus Successore, quælitum prætensionis omnis perimit in perpetuum, prout in hoc, ita præmissis casibus. Respectu Materiæ §. 206. Consuetudo Regni erat: Ut is, qui Testem unum, vel plures pro successive legitimando facto quopiam habuit, in antiqua adhuc forma Regni duos Capitulares, vel Conventuales pro exceptione falsionum fienda exmitti fecerit, qui peracto, ac inscriptum redacto Testium examine, inquisitorias in uno exemplari ad Locum credibilem reportarunt, in alio vero requirenti extradederunt. In recentiori Regni Statu Inquisitio peracta fuit cum, vel sine Adminiculo Mandati compulsorii, medio Judium, ac Jurafforis, factæque Inquisitionis Exemplar unum Instanti extradatum; aliud ad Archivum Comitatus repositum extiterit, pro futura Inquiri Curantis Jurium Cautela, citra omnes posteriores Ceremonias; Et in situ hoc negotii inquiri Curans, ad omnem eventum securum se fecit, præcipue, si Testes subinde decesserant, consequenter Morte authenticarunt, usu Regni consuetudinario falsiones suas.

Scopum inventæ causæ hujus; *Ad perpetuam rei memoriam* esse inefficacem in ipso merito negotii, ac multiplicari tantum Entia sine necessitate prodit in eo maxime: quod sit Lis directæ, ad constituendam tantum per aliquam sibi probam, de futuro, ac præviso casu. In ipso nihilominus merito rei nihil decidat, nihil securitatis statuatur. Et Processu uno trahat alium, Litesque inanes seminet, cum aggravatio societatis humanæ. E. G. Petrus a prætensa depositione Capitularis Tutori facta, et non accepta Quietantia eatenus moveat causam juxta constitutionem hanc, ad extradandam sibi Quietantiam fato accidat. Quod Incattus Tutor ex contumacia, vel per neglectam adæquatam Defensam convincatur? si nihil denique dare ex se Quietantiam desideratam, aut talem subscribere quomodo cogetur ad Actum talem, qui eo ipso: quod sit coactive fiendus, firmus nunquam est, verum ex Lege Regni spectat ad sepositionem, vel invalidationem. Si dederit fors coactus? et novifaverit Processum successive remonstrando Debitum esse inexolutum, triumphaveritque! quid valebit extradatio illius Quietantiæ prævie facta, num mereatur causa hæc vel nomenclaturam. *Probationis ad perpetuam rei memoriam*, vel si subinde Tutor ille, aut Tutelacus sui Juris jam effectus, erexerit causam distincte liquidum Debiti, probaveritque realitatem inexolute exhærentis Debiti! Quid quæso quietis, securitatisque procuravit species novæ hujus Litis excogitata? nihil ergo in Invento hoc subvertatur aliud, quam Litium multiplicatio, et Taxarum duntaxat processualium augmentum, cum aggravatio Regnicolarum.

## CAPUT XVI.

### De Probatione Summaria per Testes.

Ex §. 207. cum §. 212. *De Sententia Cap. 24.*  
 Correlative semet habente, colligitur, quod cau-  
 sante alterutro scriptas attestations Testium in  
 probam quampiam adducente, sententia convictio-  
 nis conditionata, in circumstantia hac ferri de-  
 beat per Judicium, nempe: *Si Testes hoc vel illud  
 sub Juramento confirmaverint, convicta esto Pars ista,  
 vel alia in tali, ac tanto objecto, si vero non! tan-  
 quam non probato quæsito cadat.* Hinc sequitur 1) quod  
 contra Juris, et usus etiam apud alias Gentes Le-  
 gibus gubernatas recepti, omnia principia contra  
 Indolem Judicii, quod determinativum, et abso-  
 lutivum negotii sibi submissi, semper esse debet,  
 procedat illud, ut sententia decisiva rei proces-  
 sualis sit conditionata; 2) quod sequi manifeste  
 possit; ut examen Testium vel negligenter, in-  
 adæquate, aut interessate quoque pro una, vel  
 alia parte peragatur, cum coram plenitudine Ju-  
 dicii causam discutientis non fiat, sed concedi  
 debeat res tota pure aut exequenti, aut exmitten-  
 do pro authenticatione Judici, quod 3) dum ef-  
 fectus jam rei processualis peragi debet, comple-  
 mentum Justitiæ procurari, de proba duntaxat  
 agatur, Causante nec post receptam sententiam,  
 cum conditionata sit, de Statu negotii sui securo.  
 Quod 4) occasio præbeatur ingentibus per hoc  
 malis, videns namque Pars abversa, quod amif-  
 sio causæ dependeat unice jam ex confirmandis  
 Juramento Testium Fassionibus, omni aget Cona-  
 tu humanitus possibili (præcipue si potens sit Cau-  
 sans) ut seu corrumpat, seu impediat, veritatem  
 Fassionum depromendam. Præcipue si observave-

rit Testem morti esse proximum, ac per hunc Juramentum in Judicio adhuc non esse ablatum juxta §. 211. Præter ergo alios excogitados effectus obvios, utetur oppositionis, appellationisque remedio. 5) Si constituto pro una Parte Testium Examine rei decisiivo, alia, pro casu illo, puncta interrogatoria e Diametro contraria Jus ponendi sibi reservaverit, relate ad dispositionem §. 207., et Collisio Fassionum prodiderit; quis rem conciliabit, et qualiter? agi deberet ultro processualiter ex Lite jam decisa, nova iterum Lis surgat, et sæpe circumstantia illa præcipue in facti quæstionibus a Fassione pure Testium pendentibus enasci, quod tota Processus anteccedanei structura subverti possit; quæ confusio, et protractio Negotii? Cujus circumstantia secundum priorem normam processualem sub defluta Lite semper, et adæquate superabatur, et occasione decisæ per sententiam causæ pure complementum Juris, ac Justitiæ adinventum executioni reali demandabatur.

## CAPUT XVII.

### De Probatione per Artis peritos.

§. 212. Dicitur: ne Judex probationem per Artis peritos siendam decernat, *quam necessaria sit, et nisi prius de re controversa satis edoceatur*, quando autem in quibus circumstantiis necessaria sit, non præscribitur, sed res committitur multis occasionibus, inanium, et protractivarum causæ disputationum, dein ab arbitrio solo Judicis, vel debilis, vel interessati esse queuntis, deponentium; quomodo porro Judex de re controversa satis edoceri potest, nisi prius ipse aut ocularem faciat Investigationem, aut præmittat eandem ipsam Artis peritorum

rum Inspectionem sibi referendam. Jam autem qualiter ista præmitti debeant, quo gradu Processus Novi Ordinis Judiciarii? nihil disponitur. In vetere Forma usus fuit optimus, et commodissimus circumstantiæ hujus, Causans enim, medio probationis hujus opus habens, vel ante motam Litem, vel sub pendentia ejus medio requisiti Judlium, et Jurassoris cum influxu Artis peritorum vicini Loci, rem processualem cognosci fecit sub Juramento; ac super eo acceptum Testimonium, in forma producti inprocessuatum erat, si res subsumpta non fuit ex ratione seu interessentia, seu non adæquatæ in omnibus discussionis per Partem adversam mansit res in forma probante. Si autem subsumpta fuit legitimis ex demonstrationibus, Judex causæ decrevit occultatam, et cum iisdem Artis peritis, vel aliis per totum, aut pluribus per Partem adversam, aut se ipsum denominatis pro ratione circumstantiarum præcavendæ Interessentiæ alicujus, Juramento prævie obstrictis, ex quæstionis Processualis visceribus, negotium cognovit, et in fide dignum scriptum reduxit, parti utrique extradatum, et ad Processum inductum. Sic fuit res brevi manu, debite, et cum plena Judicis edoctione absoluta.

§. 213. Refert: *Quod si metuendum esset, ne forma rei controversæ imutetur, antequam Judex sufficientem cognitionem de eadem aquirat. Hæc probatio postulante una, vel altera parte etiam non expectata sententia, vel mandato Judicis suscipiatur.* Jam ponitur casus: fiat per aliquem alteri (prout usu quotidiano emergere solet) grave damnum per depastionem, defalcationem, conculcationem, aut collectionem fructuum, in Segetibus, Pratis, Vineis, Hortis, vel per derivationem Aquæ, disjectis Aggeribus, Cataractis, illegaliter causata inundatione, sublata pro moderno statu rerum, Judicium proces-

fualium in his antecedanea procedendi activitate, consuetudineque. Quomodo se juvabit, quomodo providebit proba, damnum patiens? in tali recte statu damni, quod formam suam post exiguum tempus mutare solet; et quidem ante vel movendam eatenus contra damnificatorem Litem, ante vel adventum Terminum Responsionis ejusdem primæ (supponit enim §. iste causam eatenus prius erigendam, cum dicat: *non expectata* sententia, vel mandato Judicis (Dispositio hæc profecto excussa male, ac damnificatis plurimum nocementi inferre valens est; præcipue si reflectatur dispositio sequentis

§. 214. Per quam admittitur, in protractionem rei adhuc ulteriorem, vel profus impedimentum Parti adversæ contra probationem hanc petitam, quærendi Jus. Conceditur Judici, unum, vel duos Commissarios, loco sui, pro Inspectione oculari, et negotii effectuazione delegandi potestas, per quam delegationem non aliud, quam Mora operationis expectanda est, Commissarius enim ille unus, vel duo, possunt diu abesse domo, infirmi, vel interessati esse, adeoque excusatione hac Negotium a se amoliri, vel penitus suscipere nolle, re, donec aliæ vicissim Dispositiones fiant, juxta §. 216. 217. diutissime adharere queunte.

§. 215. Præscribit peritos Commissarios Judiciales nominandos. Qui autem periti illi esse debeant, num ex ipso Judicio causæ, vel alterius Judicii, aut extra Judicium actuale constitutæ personæ, dum modo vicinæ, ad rem, et disinteressatæ, constitui valeant, debeantque, non decidit, ad clarum tantum Causantium, cum vero procedentis in causa Judicis directionem.

§. 220. Permittitur utrique in oculari Inspectione ipsa non tantum præsentem esse. Verum etiam *monere posse Opifices de iis, quæ e re sua videbuntur:*

Hic

Hic occasio præbetur, æstimatores, et corruppendi, et præsentia Partium interessatarum per metum, aut reverentiam a principio justî, ac recti abstrahendi. Judex alioquin sciet dicere æstimatoribus, quis sit status quæstionis, quid, qualiterve cognoscendum veniat? non est opus præsentia Partium interessatarum in ipsa operatione. In veterè Forma postquam Judex cum Testibus, aut æstimatoribus ocularem jam ipsam Inspectionem peragendam habeat, Partes interessatæ vel homines eorundem, longe abesse debeant, propter præcavendam omnem justæ operationis implicationem.

## CAPUT XVIII.

De Juramento per Partes sibi defferendo, vel referendo.

§. 228. Principium Tractatus affumit de *Casibus occultis*, qui supponi debent rationabiliter tales, in quibus nullum prorsus medium probandi suppetit aliud, quam per mutuam Partium oblationem, ac delationem Juramenti. Jam autem

§. 229. Statim a Scopo suo deflectit, quod si Pars illa, cui Juramentum delatum fuerit, probationem in contrarium obtulerit, ad eandem per Sententiam admittatur, quamprimum enim probatio de re subversatur, et illa statui potest, imo offertur effective, jam ipso facto non est *Casus occultus*, non per delationes, ac oblationes, Juramenti Partium mutuas tractari potest, sed per probas reciprocas, et reales. In casu vero semiplenæ probæ per alterutram Partem statutæ Juramentum suppletorium illi Parti, quæ semiplene probavit, directe adjudicari debet. Justo Judicio.

§. 230. Præscribitur ; quod si probationem in contrarium non obtulerit, delatum sibi per adversarium habens Juramentum, ut cogatur, vel ad suscipiendum illud Juramentum, vel tale adversario referendum. Jam! quid si suscipere noluerit? neque Pars adversa relatum sibi Juramentum acceptare voluerit? quia illud forte nec obtulit ex parte sua, nec deponere possit, si quidem in factò alieno, non proprio circumstantiæ processualis nefors versetur. Sed adversario duntaxat detulit allegative! Quid in hoc casu Judici faciendum? Lex vacua! nihil decidens; quid si utraque Pars offerat Juramentum, neutra vero sibi mutuo defferat, utrique porro nota sit æqualiter (velut in factò proprio versanti) circumstantia processualis Juramento superanda! Cui Parti adjudicandum Juramentum, æqualis ne ratio habenda, Partium litigantium? vel reflectendum ad id? quæ harum suspicionem, vel præsumptionem veri pro se militantem quampiam habeat, quæ dignior sit ætate, Charactere, Sexu, Fide, honestiori vivendi modo, valore substantiæ, et animo a Possessionibus libero? quæ mentem a vero plurimum, sub Juramento deponendo, solent declinare. Nihil constitutum!

§. 234. Imponit omni, cui Juramentum Litis decisivum, vel suscipiendum, vel referendum semel pronunciatum fuerit, ejusdem depositionem, vel relationem vel intra tres dies, vel quatuordecim pro ratione expressatarum isthic circumstantiarum, perficiendum, secus sententiam in rem judicatam transire. Quid ergo! nec appellare liceat Parti a sententia hac, forte ultra necessitatem gravante? aut in competenter Partis adversæ Juramento, decisionem casus processualis deferente. Nec novisare amplius integrum sit?

prius

prius quam superetur negotium processuale, in perpetuum, Litis decisorio Juramento. Ex ratione forte illa, quod pars una, vel alia probam deprehendat, quæ omnem exstinguat Juramenti necessitatem.

## CAPUT XIX.

### De Juramento a Judice deferendo.

§. 237. Est optime constitutus, et hoc pure ideo, quia desumptus est, ex Juris Hungarici Articulis 27. et 30. 1729.

## CAPUT XX.

### De Juramento in Litem.

§. 238. et 239. Cenceditur Aëtori plenum Jus quantitatem illati in casibus his oppositis per alterum damni, Juramento suo *æstimandi, imputandique*. In obversum recte dispositionis hujus, vicissim;

§. 240. Disponitur, *quod si is, in damni hujus æstimatione modum exceßerit, Judex talem in sententia pro æquitate moderetur*. Quid ergo juvat dispositio præteritorum, Juramenti æstimatorii, imputatoriique dispositio, Aëtorem? Si Judex in Contrarium hujus, pro Judicio suo, ac Arbitrio damni quantitatem, ejusdemque præcium decernere potest; hoc adhuc pulchrius est, quod in præsentis. §. sequitur pro fine; ut nempe Aëtor ad quantitatem damni, quam Judex determinaverit, juret; si Judex determinare potest quantitatem damni pro Volupe suo, quid ergo juvat Aëtorem exposita damni perpeffi prætenfio, quid Juramenti super

eo constituta depositio? Quomodo Judex sciet  
damni quantitatem decernere, qui in casu non  
reservabatur? qualiter Actorem hoc in puncto aget,  
ac Judicem!

§. 141. Iterum cohæret dispositioni priorum  
§., et adversatur postremo 240.

## CAPUT XXI.

### De Juramento manifestationis et reve- lationis.

§. 242. et 243. dicere aliquid voluerunt, sed  
dum inchoant materiam, tunc cessant, ita ut ni-  
hil colligi possit, in quo statu causarum, quo  
gradu Processus, penes qualem formulam revela-  
tionis, quali methodo adversus Confscios suos  
ocultationis procedendum veniat, cum Juramen-  
to illo manifestationis, et revelationis? hic Pa-  
ragraphi isti, de circumstantia hac potuissent, et  
debuissent Jus Hungariæ, praximque forenssem Re-  
gni hujus in materia hac suplere, ac ad fixam,  
clarioremque ponere consistentiam; sed tam cogni-  
tio, quam praxis non suppetebant indubiæ.

## CAPUT XXII.

### De Juramento in Genere.

§. 244. Prohibentur omnes Solemnitates, et  
formulæ aliæ tempore præstandi Juramenti adhi-  
beri, præter Cap. 14. §. 190. et 191. præscriptas,  
et in illis, nec Solemnitates, neque formulæ Ju-  
ramenti quæpiam depræhenduntur, præter summe  
necessaria, ab antiquis cæteroquin, et cuius ob-  
vio nota requisita, utinam confirmatus fuisset in

Regno hoc velut Christiano, mos jurandi præcedaneus, coram Figura Crucifixi Dei, reflexus enim erat per hoc semper jurans, adverendi, vindicisque Justitiæ, Dei Imaginem. Ideo nunc a tempore inducti Novi Ordinis Judiciarii, quod simplicissime, ac levissime res hæc Juramenti tractetur, homines nimium faciles, et statim ad Jurandum proni depræhenduntur.

§. 245. Indulget Juramenti remissionem illi, qui substratum processuale donandi facultatem habet. Et non decernit quis? quid si Plenipotentarius ex parte litigantis remittat Juramentum, ex certa reflexione, aut interessentia erga Causantem jurare debentem, Plenipotentians vero de in facto repugnet; quid si Tutor, vel Curator, qui transigendi etiam ex Jure in certis Circumstantiis activitate pollent, de re orphanali idem fecerint? valebit ne res! aut si non? quid faciendum Orphano legitimam, vel perfectam ætatem attingenti, et remissioni Juramenti non assentienti? Quid si denique plures Litis consortes fuerint? et duo remittere voluerint, maximum Jus in Litis substrato alios habentes, et tertius maximum Jus fovens, renuerit? quæ ratio habenda casus hujus!

§. 246. Juramentum Judiciale, per Procuratorem valide præstari nullo casu admittit. In sensu directo præscripti hujus intelligitur, Juramentum illud Judiciale, vel *suppletorium*, vel *litis decisivum*, vel denique *revelationis*, et *manifestationis*. Cum exceptio firmet regulam in casibus no exceptis.- Sequitur ergo hinc: quod Juramentum *Testimoniale* qua Testis, *Juramentum Officii*, *Conjugii*, ac cujuscunque demum *promissionis*, *obligationis*, *fidelitatis*, valide per Procuratorem præstari queat, pro Causante, quod stare nequit, quia in dispositio-

ne, ac obligatione Juramenti, nemo personam alterius suplere, repræsentareque potest.

§. 247. Depositionem Juramenti per sententiam adinventi, alterutri Causantium injungit, vel intra dies tres (si Causans in loco Judicii sit) vel intra 14 (si sententia in ultima Instantia lata sit, relate quoque ad §, præmissum Cap. 18. 234.) a die Communicationis sententiæ numerandos, secus probatio perempta esto, cui, illa fienda Communicatio intelligitur? Procuratori ne, vel ipsi Causanti Juramentum deponere obligato? quid si Causans recte illo tempore absit e loco Judicii, ac etiam Advocatus ejus; et Cursor Judicii, juxta morem solitum, ferat ad domum Causantis, vel Procuratoris ejus sententiam, et ibi saltem deponat Familiæ, Prolibus, aut Uxori, hæc non intelligentibus. Terminus autem elabatur? perempta sit per hoc probatio! quid si venientem e superrevisorio Judicio sententiam, Juramentum decretoriam, ad primæ Instantiæ Judicem, et cum Procuratore Causantis jurare coacti comunicatam, Advocatus ille mittat quidem statim pro notitia Principalis, sed quia valde procul a Loco Judicii residet, aut viarum, temporis, aquarum circumstantiæ negotium retardent, Terminus interea dierum 14. effluat? etiam perempta sit probatio?

§. 248. Remedium est rationale quidem in Ufu Regni hujus alioquin et antea existens, cum illa duntaxat distinctione: quod vel ex Judicio Juramentum decernente, unum Comembrum exmissum sit ad expensas, jurare debentis, illudque coram figura Judicii ex gravi quapiam ratione præstare nequeuntis, vel Comitatus Gremialis Vice-Comes eatenus activifatus fuerit, sine excipiendi, juxta formulam per Judicium præscriptam Juramenti. Sed male ordinatum ideo: quod non

resolutus statim Terminus, intra quantum pro ratione occurrentium circumstantiarum Literæ illæ Requisite a Magistratu Loci Gremialis peti debeant, possintque? ac intra quale item tempus, tam hæ, quam depositio dein Juramenti facta, mitti ad causæ Judicem? ita ut occasio hinc surgat; per Juramentum deponere obligatum partem adversam vexandi, per ipsum Loci Magistratum negotium diu prolongandi, aut jurare debentem forte, partis adversæ adursione dolosa, in probationis hujus remedio perimendi. Cum certus rei Terminus defixus non habeatur, et in arbitrariis, dubiisque facile una, vel altera Partium confusionem negotii sui pati valeat.

§. 250. et 251. Porrigitur occasio eludendi, Juramenti dispositionem, cum non definiatur per hos species impedimentorum tam pro directione Judicum, quam Causantium, verum arbitrio præmissorum relinquatur, impedimenta qualiacunque statuendi, et proponendi, ad interim, successive autem Juramenti depositioni per mutationem forte temporum, alterationem rei processualis, deperditionem etiam scriptorum processualium, aut decessum unius, vel alterius Partium collitigantium, semet subducendi. Concentrata essentia Paragraphorum horum, pro impedimento hic supposito, aliud rationabiliter statui nequit, quam si Pars jurare debens, et scribere alias sciens, post injunctam sibi per sententiam Judicii alicujus, Juramenti depositionem, ab improvise obmutescat, talis enim et legere, et scribere potest scire, non autem Juramentum pronunciare. Surdus non! Cæcus non! quia hi deponere possunt Juramentum, si subscribere. Absens, graviter infirmus æque non! quia isti si pronunciare nequeunt, Juramenti depositionem, eo minus formulam illius subscri-

be-

bere. Jam autem mutus semel factus realiter, non est casus, ut Linquæ Ministerium amplius recipiat; vel ergo inanis prodit isthæc dispositio, vel explicari debuisset: qualia impedimenta per §. hos intelligantur? prout etiam illud secundum quales Processus, aut substrati causæ circumstantias? qualis satisfactio? scripta ne? vel realis? in quibus rebus, mobili ne, parato, vel immobili fundo, præ manibus cujus relinquendo ad interim, exigi debeat per Partem adversam, pro casu illo, quo Juramentum (quamquam sublato impedimento) tamen non præstaretur?

§. 255. Injustum statuitur, priorique Lata per Judicem sententiæ in casu præcedentis §. 254. recte adversans. Nam videri potest, parti adversæ probationem ulteriorem affumenti, quod validam secundum Judicium suum, probationem habeat, proponatque, interim opinione Judicis censeatur esse minus valida; ergo Pars alia, donec minus præmebatur antea, Juramenti tamen depositionem injunctam sibi habens, pro eo adhuc, quod subsequis probationibus novis per adversarium magis gravetur, etiam a Juramenti sibi prius impositi depositore relevetur per totum! et ex eo pure: quod nova hæc probatio Judici minus valida videatur!

§. 256. Pure ideo bonam constitutionem habet, quod casus hic alioquin jam in usu fuerit Regni hujus, per planum Decisionum Curialium adinventus, consequenter tantum Decisio Curialis in causa Josephi Ordody contra Helenam Blaskovics Anno 1749. per Septem-Viratum lata, hic descripta sit, nihilque Novi pro Foris Regni hujus inventum existat.

## CAPUT XXIII.

## De Inrotulatione Actorum.

§. 261. Exoticus hic Terminus, et agendi modus *Inrotulationis Actorum* est pure ideo inventus 1) ut nulla vel Nomenclatura forensis Regni hujus, minus consuetudo, quamvis bona, vel forte melior remaneat. 2) Ut inani hac operatione Advocatis modo injuncta, plus laboris tantum otiosi causetur, et per hoc divexetur magis. Disponitur §. præsentis, *quatenus omnibus scripturis causæ porrectis ultima* (quæ semper esse solet partis in litem citatæ) *adversario pro Inspectione saltem comunicetur*, ordinatio hæc, produxit effectum illum in procedura moderna: quod pars lite quæsitæ, præcipue si habeat subtiliorem Advocatum. In primis causæ scripturis suis opponat allegative saltem Documenta, Juri actoreo succinctissime, et ad nihil semet defigat, nihil specificè deducat, in qualibus §. Documentorum vel Argumentis, collocet Defensam suam contra quæsitum Adversarii, *sed in Genere saltem dein concludat, Actoratum non stare, cum petita hujus vel condescensione, vel rotunda sui absolute.* Actor se ad nihil specificè defigere potest, aut si cautus esse vult, securusque agere, cogitur labore improbo, imaginari, quo tendat, in quo se fundare possit, ac velit Adversarius? in cautelam consequenter sui majorem omnem minimam supponibilem tantum circumstantiam ex toto reassumere, ac divinative ad eandem respondere, nihil autem gravius esse potest, quam cogitationes alterius haud repertas prævenire, assequi velle, si autem hoc intermittat facere, Pars citata hac proceduræ subtilitate, Actorem capere constituens, in ultima dundaxat scriptura semet effundit, propter Judicium

in-

informandum, principiaque sua prius latentia detegit, certus in eo, quod cum sua scriptura ultima esse debeat, et pure pro Inspectione tantum adversario, non autem danda Responsione comunicanda veniat, neque novi seu Documenti, seu Argumenti (quod in præviis non lateret) inducat, consequenter scripturæ conclusivæ Parti contrariæ admittendæ ratio haud subvertetur, Actorem ad præmeditatam confusionem deducturus sit, iniquæ causæ suæ hoc Astu providendo. Jam utrum non sit per ista occasio, miseram Juititiæ administrationem faciendi, Actorem improvise suffocandi, vel saltem cum gravibus iterum expensis, et mora longiori, ad viæ novi medelam cogendi, respectu, negotii, quod uno ictu, labore, ac impensis superari alias potuisset, præcipue si reflectantur Latus, qui jam accidere Causantibus in Judiciis, quod sæpe petens scripturam conclusivam sibi admitti, non obtinuerit, vel uni indulta sit hæc, alteri vero non per Judicium, arbitrarie hoc in puncto semet agere posse statuens.

§. 263. Indulget Judici: quatenus pro Inrotulatione Actorum Personam Judiciale[m] constituere possit, sequitur ergo in forma: quod Judex præfens recte esse non debeat, ex §. etiam subsequente; jam occurat casus prout sit, Inrotulationem agi coram Expeditione, Actuario, vel Cancellista Judicii, committatur aliquis defectus, aut dolus per unam Partem collitigantium, in ipsa depositione Actorum, iste vero, nec per constitutam pro Inrotulatione personam, neque per Substitutum pro hacperagenda (prout a potiori esse sivevit) Partis alterius Advocatum observetur. Quæ confusio statim causæ! quis pro facto respondeat! qualiter medebitur malo Pars illa, cui facto hoc nocitum est, quando nec illud observare, deprehendere amplius po-

potest, velut nunquam inrotulata semel Acta, imposterum vel videre valens præter emanatam super Actis processualibus sententiam. Defectus autem potest oriri: quod vel non pleno Numero scripturæ, producta, vel transposita vel sub aliis signis, vel denique alia, in dorso æqualia. Cæteroquin loco illorum, quæ ad rem pertinerent, erronee deponantur. Dolus porro ille. Quod Pars una in præpossefforio habens, alterius scripturas, et producta longiori tempore, possit cancellatas, delatas, correctas, in substantiali recte fundamento deponere, aut productum aliud loco adnexi ad Replicam, sibi favorabile in aliquo substituere, præmeditato jam Astu ita disponendo: ut ad Numerum externam formam, correlationem Allegatorum, omnia bene cohæreant. Melius semper, ac securius procedebatur in antecedanea forma. *Submittendarum, et comportandarum in Judicio causarum.* Partis enim utriusque Advocatus conclusis jam semel Allegatis, Processum ad Judicem tulit. Hunc Judex causæ alioquin sæpius etiam manibus suis prius tractatum, custoditum, visum, recepit, fileras processuales Allegatorum in præsentia utriusque Advocati revidebat, paginavit, producta discussit, quæ sint, et qualia, quot Numero Partis utriusque, an non aliquod desit, vel alteratum existat. Si difficultas quæpiam surrexit, statim separata, supletaque fuit. Re autem integre depræhensa per totum, Processum colligavit, et ad se recepit. Præterea, si occasione hac licet aliquid non observatum, vel neglectum fuisset, postquam Processum vicissim totum uterque Advocatus postulatam sententiam, de more solito ad manus recepisset, sine seu ulterioris prosecutionis, seu interponendæ Appellatæ in statu eodem Originali discutere, revidereque volendo denuo totam causæ feriem, depræhendi potuit omne

illud, quod seu per defectum, seu per dolum irrepisset; sed nunc in situ proceduræ hujus occasio omnis sublata causidicis, imo nec Judex videt, nec scit, ubi sit causa, quid in ipsa agatur, per totum tempus, quomodo vel prospiciat, eoque donec per Inrotationem, ad revisionem ipsam Judiciariam non deveniat.

§. 264. Salvat Partem utramque a depositione Originalium Instrumentorum ad Rotulum, nisi pars adversa vitium visibile illis objecerit. Vitium visibile ex proprietate Terminorum tunc supponitur, duntaxat subversari, dum in Documento, Cancellatio, Rasura, Deletura, vel defectus Sigilli, aut Sigilli alterius, quam oporteret, oppositio, aut non existentia dati, cernitur; Jam provoco huc omnes, Juris peritos, practicosque Regni hujus, num saltem ex his circumstantiis, Documentum quoddam falsum esse queat, vel pluribus adhuc aliis, quæ visibiles non sunt, directe physicis oculis, sed intellectualibus; prout est: imitatio scripturæ alterius. Albæ alterius, seu arte quapiam procuratæ, seu alio fine datæ Instrumenti alicujus insertio. Coramissantium, vel deficientis Numerus Lege requisitus, vel contra expositionem directæ Literæ Testimonium. Datum præpositum, Clausularum Lege præscriptarum, Stylique non facta observatio, pro ratione Documenti, ætatis, consuetudinisque temporum illorum, quibus Instrumentum emanasse depræhenditur. Personarum seu subscriptarum, seu nominatarum in Documento, defectus, vel a loco absentia, remotaque existentia. Quæ alias tempore confecti Documenti vivere, in loco dati præsentis esse, necessario debuissent. Non facta negotii instrumentalis statutio, publicatio, relatio in hoc, vel alio loco, forma hac, vel alia: Confirmationis, aut Consensus Rei in Documento  
con-

contentæ subseque neglecta intra tempus hoc, vel aliud procuratio. Chartæ pargamenzæ, aut Zonæ Colorum præscriptorum, et in loco tali credibili usitatorum contrarietas, adversans forma expeditionis, Chartæ tardior multo, quam ætas instrumenti sit, inchoans factura. Quæ omnia testante jam experientia (si clare probata sunt) Documenta falsificarunt, quomodo autem ista cognoscet Judex quisunque adæquate, nili depositum, captivatumque manibus suis habeat, subsumptum in præviis Instrumentum. Provida justaque praxis forensis antecedanea, illud secum ferebat; quod suspectum ex his etiam Documentum Judex causæ statim ad postulatam partis captivaverit in Originali, et post latam per se sententiam, etiam Judicii superrevisorii Tribunali pro ulteriori discussione transmiserit in eo statu.

§. 265. Præscribit Inrotationem Actorum eo tempore, quo causæ in Judicio audiri solent, exequendam. Recte pessimum tempus constitutum. — Quia tunc assumpta in Revisionem per Judicium causa quapiam, Judicium non turbatam, non interruptam quietem habere deberet, ut defixus plene possit esse ad circumstantias omnes negotii, in discussionem assumpti, ut denique Judicium plenum esse possit in Numero præscripto confidentium pro ferenda sententia, jam autem testatur experientia: quod Inrotationes hæ tempore tali occurrentes, a potiori turbent negotia Sessionis, interrumpant, præcipue si quæstiones aliquæ inter Partes inrotulantes, Sessioni referendæ hac occasione interveniant. Quod sæpe diminuatur necessarius Numerus Judicum, per unius ad Inrotationem exire debentis, et crebro talis, qui ad negotii subrevilionem assumpti, rectam, justamque decisionem, Judicio suo, perspicacia, Jurisque prudentia, maxime necessarius esset, plurimumque conferret. Dicitur

in

in §. hoc: *Quod si Pars comparens, allegata scripturæ suæ deponere non possit, ex eo: quod copię sibi desint, Originalia autem Judici deponere vel nolit, vel non possit, ut pro Inrotulatione Actorum tertius subsequens dies constituatur, et quid si tanta scripta sint, quod nec per dies tredecim describi valeant: Circumstantia hæc, cujus reflexio haberi inomisse debuisset, nec incidit! rationalis debet condi Lex omnis, et nunquam oblivisci possibilitatis humanæ, physicisque temporis, fecus injusta evadit. In quali Mulcta absentis Partis Advocatus convinci debeat? nihil specificè decernitur? Generalis hæc Constitutio, multas iniquas, indiscretas, et incongruas producere potest sequelas, præcipue apud Judicem, qui levis est, irrationabilis, et passionibus quibusdam irretitus, per decisionem hanc illimitatam nec concedi videtur rationalis excusatio Advocato, pro Inrotulatione, ex improvise occurrente impedimento. Comparere nequeunt, cujus complures species, subito intervenire possunt rebus inhumanis.*

§. 266. Quid si Partes recte ante Inrotulationem mutuo transigant! et hoc ex incidenti, nulla Partium pro Inrotulatione compareat. Etiam tunc Advocati mulctentur? quod immediate pro tempore Inrotulationis interveniens factum haud insinuaverint, vel insinuare non potuerint, certo, et rationali ex motivo. Decernitur hic præterea pœna *dupli* in Advocatum secunda vice, pro die tertia ad Inrotulationem non venientem, et non scitur ex §. priori, quæ sit pœna simplex.

§. 267. Per non claram decisionem suam, disputationi tantum ansam porrexit in eo: Num Rotulum Actorum teneatur pro Partibus, Judicialis illa Persona, etiam facere, vel Partes ipsæ? quæ statuunt sæpius semet ad hoc non teneri, cum con-

clusio §. hujus dicat saltem : *præmissum nibilominus esse, utrique Parti Rotulum domi conficere, adeoque velleitati Partium interessatarum rem esse delatam.*

§. 268. Præcipit: *Quod si in ipsa Inrotulatione Controversia super depositione alicujus Documenti emata fuerit, tale deponatur quidem simul tamen Contradictio Partis adversæ adnotetur: Quis illam Contradictionem deducat? ipsa ne Pars, vel Persona Judicialis? quid si Persona Judicialis E. G. Cancellista sit? talemque Contradictionem nec concipere, minus deducere sciat? uni tantum Parti admittetur, reflexiones eatenus suas deducendi, vel alteri etiam in Contrarium? Si uni saltem, res erit imperfecta, injusta, quia Pars altera etiam audiri debet, ut ex duobus Contrariis major elucescat veritas. Si utrique, novus ergo surgat Processus, nova disputationum Allegata, et materia illa pertractetur occasione plane Inrotulationis, quæ jam in Processu plene tractari, extricari, superarique debuisset, ut amplius nihil tempore jam submissionis causæ, restet similium. Super quo prius Judici, num de controversia hac emergente Inrotulationis, vel causæ ipsius meriti, sententia ferenda? O confusam omni ex Parte, ad debitæ Justitiæ scopum, proceduram!*

## CAPUT XXIV.

### D e S e n t e n t i a.

§. 270. Injungit quidem Judicibus, ut *Lites celeriter expediant. Quasi hoc jam sufficeret ad Debitam Justitiæ administrationem! Istud quidem fit: sed qualiter? num bene? an Divinæ Justitiæ conformiter? respondeant ad hoc Causantes afflictissimi! Procuratores, ex quotidiana Negotiorum*

N

ex-

experientia! judicet Deus, qui Justitias humanas judicare venturus est; Quæstio magna est; num secundum Introductionem Judiciorum, eorundem Constitutionem, Normam hanc processualem, vel possit, debita, justaque expeditio fieri causæ, etiam si velint, et sciant aliqui Judicium, tanto magis a Contrario.

§. 271. Contradicit ultima Conclusione sua, recte §. 274. Dispositioni, iste namque præscribit rationum, quæ Judicem ad sic, vel aliter judicandum moverant, expressionem in sententia non esse faciendam; Ille vicissim injungit Motiva sententiæ, rationesque Judicati extradari: Quæ igitur Decisio horum in uno Capite, eadem Materia, observanda!

§. 272. Ordo, Forma que moderna judicandi, induxit usum, sententias conditionatas ferendi, quæ videntur quotidie in causis præcipue, quæ probationem, vel per Testes, vel Juramentum in se implent. Jam autem! num Methodus ista decernendi negotia processualia debita sit? num cohæreat vel proprietati sententiæ finalis, definitionem plenam rei processualis per Convictionem, vel absolutionem determinatam ex Natura sua exigentis. An denique correspondeat hoc §. 270. jam præcedentis statuto, causas per sententiam definiendas præcipienti? Judicent sanæ mentes, populique omnes politici, Legibus juridicis gubernati, antea pestis erat, Causantium, gravissima Lamenta; quod sæpius acciderit, per Judicium quodpiam casu, vel sponte dubiam in Processu aliquo ferri sententiam, ex quo effectum certum rei, non statuerit, ejusmodi sententia, factum tale, pro summe nocivo statuebatur, et improbabatur, quanto magis idem ex sententia conditionata secuturum.

## CAPUT XXV.

### De Appellatione, Revisione, et Quere- la Nullitatis.

In Capitis hujus dispositione omnia legalia, rationabiliaque essent, tantum illud non subversaretur:

1) Quod omnes causæ, quarum multæ antea partim ex ratione claritatis suæ, partim exiguitatis substrati per Leges, Decreti Regni etiam a primæ Instantiæ Foro extra Dominium appellabiles fuere, nunc intra Dominium appellabiles effectæ fuerint, et quidem Processus quoque Liquidi Debiti, quod non videtur esse justum, neque cohærere in clarissimis cætoroquin causarum multarum meritis, Justitiæ accelerationi; quod

2) Causæ appellatæ ad Forum superius, iterum remittantur ad Judicium primum cum sententia pure sine interponendæ ad tertium Tribunal (si difformitas sententiarum occurat in aliquo) Appellatæ, cur hoc jam ita disponi non potuisset: ut cum in uno, eodemque loco Appellatoria Fora considerant, statim ibi pars per hominem suum, vel ipsa, Appellatam facere valeat, sed Processus debet cum prolongatione temporis, graviore onere postulium expensarum, ex ratione hac duntaxat, mitti, remitti assidue. Quod:

3) Causæ in primo Foro non per extensum, sed per Extractum duntaxat Referentis revideantur, ubi alias in forma moderna breves sunt, optime excutiendæ venirent, cum maxima salus teste experientia consistat Causantis, in primo Judice negotium processuale adæquate dissentiente, ac decernente. Sed conceditur Status causæ totius, unius hominis fidei, Judicio, ac intellectui, quæ omnia

nimum fallibilia sunt, in uno homine, nisi sit extraordinaria, testataque Justitiæ, Jurisprudentiæ, Theoricæ, ac practicæ, cum gravi Judicio temperatæ. Inde fit, quod frequenter negotia processualia haud bene excussa prodeant; Interim talia adprobetur sæpe in Foro superrevisorio, ibi namque propter expedienda tantum citius, et a se amolienda Negotia, invaluit ille mos felix pro Causantibus, quod Referens revideat tantum Actionem Processus, Documenta, sententiam cum Motivis, ac Libellos Appellatorios, ex hisque pure referendam construat brevissimam cum Voto suo pro sententia. Inde sequitur dein, quod æquali secuta duorum Fororum Sententia, Causans sæpe injustissime decissam habens Litem, ad Forum tertium amplius appellare nequeundo, propter modernam constitutionem, infelicem temporum luceat Justitiam, aut cum gravibus expensis, fatigiis, remedium Novi quære cogatur! Nunc in duobus tantum hominibus sita est Causantis Felicitas, Justitiam administrandi, vel non, Leges dictandi, assumendi, torquendi, Activitas, in Referente quippe Fori primi, et in Referente Fori secundi appellatorii, si hi duo conveniant in Principiis suis, jam ex quacunque ratione, pati debet Judicium Causans, quale hi duo ipsi tulerint. Quam Negotiorum superficiale[m] discussionem, ac præcipitantiam causat plurimum apud Referentes copia Materiarum, assiduæ Sessiones omni Septimana, et quod maxime nocivum inventum, Divisio Senatus quorumpiam Judiciorum. Ut ergo Referens cateroquin physico tempore, pro laboribus pluribus, majori egens, in confluxu diversissimarum Materiarum, in distinctissimis objectis versantium, præcipue *Currentium*, et illico referri debentium. Confusus, parco nimium tempore pressus, vi Officii, cum pluribus Referadis, ad omnem casum

sum, pro imminentibus Sessionibus paratus sit, cogitur ipso facto negotia celeriter, superficialiterque crebro superare. Ita revisa dein prodeunt Merita processualia, præcipue graviora, cum ingenti malo Causantium, cum:

3) Causans modo, et Advocatus, nec sciat Referentem causæ, nec tempus revidendæ hujus, nec coram quo, inferiori ne, vel superiori Senatu, ut ad minus Informationem scriptam, aut oralem dare possit Judicibus. Informatio in rebus, quibus pendet salus vitæ, aut Bonorum alicujus, ubi Justitiæ administratio subversatur, semper utilis est (prout ante fiebat) imo necessaria prorsus nunc in moderno situ Judiciorum, ac Normæ processualis. Non taliter acceleranda est Justitia, ut generet præcipitantiam, pessimam rei excussionem. Acceleratio in illis, debita consistere videtur 1) ne quod breviori tempore fieri potest, longiori tractetur. 2) Ne inanibus, ad rem non spectantibus causa distrahatur, Causantium multiloquiis, aut impedimentis iniquis, Justitiæ distrahatur. 3) Ne injustis, aut irrationabilibus Dilationibus res pertrahatur. 4) Ne Judex ferendam sententiam differat in tempus longius, quam forte ratio negotii exigat non autem in eo: ut propter expedienda celerius Negotia, majorem Numerum implendum rerum, nec auditis plene Partibus, nec discussio adæquate Negotio, Operationes, ad coactivam incumbentiam, tantum absolvantur, qualitercunque demum prodiverint. In reliquo viderit Causans! viderit introductus Novus Ordo Judiciarius! Illud inter cætera materiæ hujus mihi æque injustum videtur. Ut semper, dum causa duorum Fororum æqualem recipit sententiam, præclusa sit ad tertium Appellata; crebrius enim fit, ut uno saltem voto, vel duobus superetur approbatio Judici primæ Instantiæ, Res proinde processua-

lis quæstionata est, uberiori eget revisione: æquum proinde foret: ut in casu tali, dum vel una tertia Judicium differet, seu in Foro primo, seu secundo Appellatorio, semper indulgeatur ipso facto Judicii secundi ad tertium Appellata, præterea constituendum esset, quatenus singulus Judex in omni causa rationem voti sui exprimat, eademque prænotetur accurate, et hæc circumstantia etiam cum priori in comitiva causæ ad Forum superius transmittatur. Ita noscerentur etiam magis Judices.

## CAPUT XXVI.

### De tentanda Amicabili Compositione.

In Capite hoc Materia Transactionum processualium per oportunam Occasionem ex professo illustrari, ac decerni potuisset in sequentibus.

1) Ne liceat Transactiones inire aliis, nisi ipsis Causantibus personaliter præsentibus, aut solis Tutoribus, vel Plenipotentariis, specialem ad omnem Circumstantiam Negotii, per Transactionem qualiter accordandi, Plenipotentiarium Activitatem habentibus.

2) Ne unquam fiat Transactio, nisi causa jam in Merito constituta, et a finali Judicio pendente, non autem sub formalitate tantum, ac exceptionum gradu existente, aut post nudam statim Litis motionem, per citationem factam.

3) Ut nunquam Transactio processualis compleatur alibi, nisi coram causæ Judicio, ibidem Transigentes una cum suis ne fors Advocatis habitis constituentur. Scriptum Transactionale, idiomate, Transigentium utriusque perfecte noto, prævie apponendum discrete perlegatur, clare explicetur. Consensuque dein Partium, libero, ma-

nifesto, ad factum Transactionis excepto, scriptum primum per Partem utramque subscribatur, sigilletur, propriis manibus, vel in defectu scribendi notitiæ, alterius ad id specialiter requisiti, ac substituti. Dein per Judicium totum coramifetur; non secus Advocatos præsentis Partis utriusque, cum expressione: quis cujus Litigantium Causidicum egerit.

Et hæc, ut observentur, ad evitandas multas (prout praxis docet) Circumventiones, inadæquatas amicales Compositiones, inde sequi consvetas quam plurimas Lites in Comercio humano, ad invalidationem Transactionum erigi solitas, et ut per hæc verus scopus, ac provida dispositio Tituli 62. Iæ in Materia processualium Transactionum impleatur.

## CAPUT XXVII.

### De Arbitris.

Compromittere in Judicem, sapit cæteroquin Contractum, qui Jure Gentium singulo licitus est, admittique debet, hæc consuetudo alioquin in usu fuit, Regni hujus, imo in Legem plane, Articulum 30. 1729. abivit; Sed! Novus Ordo Judiciarius si supplere voluit in aliquo (prout debuisset) Normam hic processualem. Debuisset hoc statuere pro securitate Compromittentium, et ad evitandam elusionem administrationis Justitiæ, qualem pœnam subire deberet, ille Judex arbiter, qui semel assummit, in se Partium ex compromisso Judicatum, et dein ex rationibus aliquibus levibus, aut interessatis, Judicatum deprecatur Negotii. Accidit enim sæpius, quod Arbitri Judices unus, vel plures, acceptato prius Judicatu postquam jam Partes diutius in causa, compluribus impensis, ac Fa-

ti-

tigiis egissent, rem finali duntaxat Judicio superandam haberent, ex respectu Partis unius, vel alterius, quæ justum forte non habere depræhenditur, ac convinci debere observatur, interessatissime, et impune, Judices amplius agere detrectent. Cum gravi elusione Partis alterius Oleum, et Operam totius laboris perdentis; constitui proinde debuisset 1) ut compromissum tale non solum Partes contrahentes subscribant, verum etiam assumentes semel Judicatum Arbitri. 2) Nolens Arbitrator causam semel sub Judicatum suum acceptatam decidere plenarie (sola obitus, vel gravis infirmitatis diu perdurantis, aut in communibus Regni Negotiis, sive ad Bellum, sive Oras exterarum abitus necessarii excusatione locum habitura) in pœna pecuniaria tali, vel alia, toties quoties judicialiter requisitas, Partis unius, vel alterius ad Instantiam, et Judicatum continuare nolens, vincatur, et exequatur. Talis enim velut turpis, iniquus homo, contra præmissam per se antea factum agens, Justitiæ administrationem eludere pure volens, pœna exemplari ut mulctetur, oportet.

## CAPUT XXVIII.

### De Arresto Personali.

§. 299. Dicit ante Litis decisionem, nullam Executionem concedi posse, sed Arrestum locum habere, seu præhensionem personæ, quod plus est, omni alia Executione. Prius quam ergo vel convincatur aliquis de realitate Debiti, arrestari potest, Processus igitur exordium sumit semper ab Executione, vel saltem hæc præcedit Litis decisionem. Qui tenetur; qui contractum habet æs alienum, et cæteroquin etiam vagus est, etiam

Do-

Domicilio caret, de Fuga suspectus est (prout hic supponitur.) Ille certe Fundum amplius contentandi non habet, inanis ergo est vel litis motio, cum accumulacione majorum adhuc expensarum. Sed constituendum ultro esset (si Debitor cæteroque penes Datum ex se scriptum manifestus sit) ut talem seu Nobilis ille sit, seu Servitor, seu Jurisdictionatus cujuscunque demum Domini, liberum sit Creditori ubicunque, excepta Ecclesia, vel Residencia Regia, aut Domo Judiciaria, capere, vel curare capi tanquam clarum, elusivum nihilominus Debitorem, juxta optimam in hac Materia dispositionem. Ulad. Decr. 1. 92., quo facto, Debitoreque jam in manibus, et custodia Creditoris, vel Successoris ejusdem immediati, existente. Si Debitor captus Nobilis sit, coram competente Foro ejusdem, si Ignobilis, coram Dominio Terrestri ipsius, ut agatur dein respectu Debiti, qualiter juxta Præscriptum 28. 3æ contentandi. Brevi manu, securaque dispositione providendum est Juribus Creditoris. Non per longas, multas, expensis, elusionibusque plenas (prout Capite isto subversantur) Ceremonias. Ne porro sub prætextu hoc injustas, ignominiosasque Capturas hominum faciendi surgat occasio; determinandum esset una: Quod si in Nobilem Personam, non probatum Debitorem Actu hoc peccaretur per aliquem: pœnam talis Actus majoris potentia distincto erigendo Processu incurrat. Si vero Ignobilem, pœna homagii ejusdem, refusione item Causatorum, facto hoc omnium damnorum, non secus Læsione Juris Dominalis fl. 100. prout et expensis litis vincatur. Multo meliores in his statuta sunt in Legibus Regni provisiones, quam Capite præsentis, nihil deest aliud, quam ut debite observentur. In Anglia quoque

ratione Debitorum mos iste est procedendi. Quantum concernit Cautionem per Debitorem inarestatum ex parte sua dandam, illa pleno arbitrio Creditoris concedenda esset. Num talem, vel aliam, aut nullam acceptare velit, sed inhæreat saltem capturæ personæ; ejusque ad diurna servitia per Judicium competentis, cum imputatione præstandi per Creditorem. Debitori Victus, et Amictus, condigne, dietimque æstimanda) convictioni, donec nempe seu Debitum plene non contentetur, seu captivus Debitor non decedat. Hæc dispositio extendenda veniret, etiam in tales manifestos Debitores, qui propter mobilem, facile occultabilem substantiam, nulla immobili provisi essent, ac ad iteratas Creditoris monitiones, adursiones, suis pactatis Terminis nec Interursuria quidem, minus Debitorum vel partem dependere conarentur; sed de Fuga potius suspecti essent, imo effective quoque jam profugissent, ex Loco solitæ mansionis. Qui velut Fures, ac Impostores per omnem Jurisdictionem Regni in casu hoc profugii currentandi, ut disponantur, rationabile foret.

## CAPUT XXIX.

### De Inhibitione Rerum Mobilium.

Consultissimum fuisset ad rem Creditorum bonæ fidei, optimæ cohærens Justitiæ, disponere: ut liceat Creditori universam Substantiam Mobilem Debitoris, seu Profugi, et in persecutione existentis, seu captivati jam, ubicunque reperibilem, tam ex Juramentali revelatione Debitoris, quam aliis mediis quibuscunque rescitam, judicialiter inhiberi facere, ad interim, donec Process-

sus cum captivato Debitore, aut post profugium suum publicato, suo Termino constituto non superetur, probata vero dein seu per Confessionem Debitoris propriam, seu forma plenæ probationis, seu denique per cotumaciam ejusdem, Debiti realitate, integrum sit illico Creditori, ad eundem mobilis substantiæ Debitoris, Custodem, vel depositarium, sub obligatione quoque revelationis juramentalis ipsi imponenda, regressum formare, eodem statim contra Debitorem directum, Processu ventilato, in forma continuationis, aut distincte erigenda (si placuerit) Lite, mobilemque ejusmodi substantiam de pleno ad vires contentandi sui Debiti sibi adjudicari, ac exequi procurare; cum illa præterea in securitatem Creditoris fienda constitutione: quod si Occultator ille, mobilis substantiæ Debitoris ad primam inhibitionem Judicariam rerum Mobilium pro parte Creditoris institutam, negaverit apud se existere, tales in toto, vel parte, adeoque restiterit Inhibitioni hujusmodi, imo detrectaverit simpliciter conservationem harum interimalem sibi injunctam, verum easdem aut vendiderit citra Consensum, et influxum prævium Creditoris, aut in usum suum converterit, aut denique in alium vicissim locum sine ulterioris oculationis, eludendique Creditoris transposuerit, imo Debitori plane sub manu extradederit, similiaque dein Creditor legitimare valeat sufficienter, tanquam Doli, et Complicitatis cum Debitore habitæ reus, in tali acquisitione Debiti, ejus Interusurii, Expensarum Litis, quasi Debitor ipse esset, convinctur. Tales sunt, ad Statum perfectum Reipublicæ inducendum, utiles, ac necessariæ Leges! quæ provideant efficaciter malis; non autem per longas, et intricatas Capitis hujus Paragraphorum

Am-

Ambages, tam expensas, quam fatigia multa, in fine vero, elusionum adhuc occasionem causare valeant, prout latet in §. 308. 309. 311. 313. 314.

## CAPUT XXX,

### De Sequestratione, aliisque Remediis Provisionalibus.

§. 316. Sequestrum, res in Civili Statu utilissima, et perquam necessaria. Ne Actiones, vel Successiones alias planæ, sæpe eludantur. Usus hujus fuit cæteroquin in Regno hoc, bonis etiam Legibus provisus, tam quoad Substantias Dilapidatorum securisandas, quam Objecta Litium stabilienda interea, donec tales plene decidantur. Sed in reali effectu Negotium a potiori vacillabat, per practicas imperfectiones. Tunc enim a potiori dilapidatoribus Sequestrum imponebatur, postquam æquantia jam fere valorem substantiæ, onera habebantur, aut tres quartæ Bonorum dissipatæ, inoneratæ jam fuere. Crebro fiebat: ut Sequestro, Inhibitioneque Venditionis, et emptionis Bonorum, Contractionis Debitorum, ac mutuo dandarum pecuniarum, superficialiter duntaxat decretis, neque currentatis ad Notitiam omnium, neque conscriptio quidem exstantis Massæ, peracta fuerit: Et si facta, luridissime, inadæquate multis, spontanea malitia, aut crassa negligentia exmissis: sæpe accidit, quod ex collusionis decernentium Sequestrum in Comitatu, Administratio Sequestro affectæ substantiæ erga vel futilem, aut nullam prorsus Cautionem, ipsi Accusato delata habeatur, Sequestrum ergo fuit ad implendam duntaxat scripturam, in effectu provisionis

vero nihil, quia malam dispositionem continuandi, relicta est penes Accusatum Occasio. Putaret homo, dum ad Caput prærens impingit, quod Materiam hanc ex professo, circumstantialiter ad omnem casum, pro utilitate, conservationeque Civium in Republica tractandam. Quoad omnes imperfectiones per praxim investas, suppleendam assumpserit. Interim omnes Paragraphi remedium hoc Sequestri pertractantes, præter id, quod nihil novi constituent, in rei merito æfficaci (ubi recte opus fuisset) præter nudam externam agendi formam, sed sterilissimi sunt, et Ambages adhuc longiores, majorum expensarum, ac Intricarum, (quam prius fuerint) etiam in negotio Sequestri quoad objectum processuale constituendi proponant. Sequestrum vel Dilapidatori, vel objecto processuali usque decisionem plenam Litis imponendum occurrit? Quod utrumque casum disponendum fuisset sequenti modalitate.

Si de quopiam audiatur tali, qui nulla prorsus Aquisita habet, sed pure Materna, et Paterna, vel plane Materno, et Paterno avita Jura possidet, et ille, vel partem quampiam talium Bonorum vendit, aut impignorat, irrationabiliter, nihil pro eo emendo aliud, redimendo, onus exolvendo, Damnum in Æconomia quopiam lato perpeffum haud redintegrando, sed simpliciter pecunias consumendo, vel onus contrahat mutuum citra prævias rationes, nullamque hujus Investitionem, aut alterius expunctionem faciat. Hinc illico ad delationem seu per Prolem, seu Collateralem quemcunque Jus successorium mediatum, vel immediatum ad rem habentem, imo alium quemcunque Extraneum Nomine præmissorum fiendam, Inhibitione tam erga ipsum, quam erga omnes alios vicinos, et Cometaneos medio Curentalium

per

per Magistratum Comitatus, vel Civitatis, aut Judicium legale quodcumque instituenda, obvietur interea, donec Processus ad Sequestrum coram Foro Territoriali personæ, ac Bonorum male dispensantis cum rebus suis, non erigatur, et decidatur.

Si Sequestrum Objecto cuiusdam processuali (ne usque Decisionem Litis vel pereat, vel deterioretur, diminuatur) imponendum occurrat, liceat Actori statim, dum Actionem principalem respectu quæsti processualis erigit, una fidelia Sequestrum rei illius accessorie petere pro ratione circumstantiarum Objecti causæ. Judiciumque eatenus recepta quamprimum Actione tali, teneatur vel Inhibitione, vel Sequestro per Districtum totum publicandis, negotio usque finem Litis providere, ad Instantiam Actoris. Cum alioquin ratio Justitiæ, Legum, Judiciorumque exigit: Ne inanes Lites efficiantur in scopo suo, per elusionem in Objecto processuali sequi valentem. Et sub Litis pendentia nihil innovandum, nihil pro agravio Actoris generandum veniat 25. 2æ. Sic brevi manu, efficaciterque providebitur rebus in periculo collocatis nullis Cautionibus in casu utroque tanquam occasionibus duntaxat elusionum, acceptandis, et recipiendis, possuntque dein Paragraphorum 319. 320. 321. dispositiones cum certa, et secuta utilitate ad effectum celeriolem deduci.

## CAPUT XXXI.

### De Executione.

§. 322. Præmittit cum Exordio, quod Executio concedi possit, si præcedat Sententia, vel Transactio judicialis, consequenter Executio illa, ad brevem omnino, competentemque Terminum præ-

ficienda veniat, cum præmonitione R. C. *Quod si emanferit, de debito confessum habitum iri.* Postquam taliter semel statuitur, nihil aliud ergo restare deberet amplius; quam ut in casibus reflexis, præfixa semel Executio effectum suum realem accipiat citra omnes posteriores Ambages. Nisi semet Pars exequenda opponat; hoc enim taliter exigit, ordo debitus Juris, præcedentis Sententiæ, vel Transactionis ratio, illud denique antecedanea Regni hujus procedura secum ferebat. Interim subnectit §. hujus dispositio: quod si Comparens pro Executione Reus contra petitionem Actoris quidpiam proponat, audiendus sit. Hinc sequitur ergo, novum vicissim oriri posse Processum, Sententia iterata decernendum, nihil juvare Actorem Sententiam, aut Transactionem præcedentem, Executionem, Jure harum qualito ordinatam, tanto magis: quod Paragraphus iste admittat Reo facultatem exceptiones hac occasione adducendi, præscribat Sententiam super talibus ferendam: *Si autem hæc citra dilationem ferri nequeat, utramque partem itidem sine Mora ad Forum contradictorium admittendam esse, ac super illatis probationibus id, quod Juris est, pronunciamdum venire: eo denique casu; quo R. C. Documentum quidem recognoverit, nihilominus tales exceptiones opposuerit, super quibus Sententia statim ferri non possit, causam secundum debitum Processus Ordinem promovendam esse.* Quid igitur beneficii surgat ex dispositione hac, Executionem petenti, plane non videtur! quando Conclusio §. confundit initialem ordinationem. Quando in ipso jam sperato, defixoque negotii effectu, petens Executionem eludi potest, et ad primordia relegari. Quando ex Processu uno per Sententiam, aut Transactionem superato, vel præoccupato surgere tamen potest alter. Sententiam semel latam, prout Transactionem per  
 Par-

Partes celebratam, ac legitime remonstratam, non aliud sequi debet, quam realis Executio. Nullum aliud impedimentum effectum harum morari potest, quam expositio, et surgens ex hac Processus oppositionalis. In quo agi nec solet, nec debet amplius de merito rei, num justum sit, vel non? num recte decisum, vel Transactum? sed tantum assignanda venit ratio Oppositionis, quæ pure in eo concentrari debet, an Pars Executionem tollens sit citata, et legitime convicta! Num eadem illa Pars transegerit judicialiter Transactionemque talem subscripserit? Num Executio penes Sententiam, aut Transactionem procedens ultra, vel prorsus distinctum Objectum Sententiæ, aut Transactionis, non agrediatur. Alia enim occurrentia in rei Merito semper spectare, invariisque debent ad beneficium Novi quoad Sententiam alterandam, aut ad Invalidationem Transactionis relate ad factum Transactionis, et Jus nonciscens ex Sententia, vel Transactione semper ad effectivam rei Executionem introduci debet, citra omnes alias quæstiones, quibus occasio porrigitur, per dispositionem præsentis §., ratioque multiplicandarum tantum inanium, pro-tellatoriarumque administrandæ realis Justitiæ Litem exhibetur.

§. 323. Exigit Terminum in Transactione, vel Sententia expresse aponendum, intra quem Actori satis faciendum sit, hic vicissim quæstionum, ac elusionum protractivarum Ansa generatur. Si enim non sit qua demum ex contingenti ratione Terminus præscriptus, potest Convictus, aut Transgens difficultatem ex incidenti hoc tempore Executionis obicere fiducia §. hujus. Lex nunquam debet occasionem præbere Disputationum, Exceptionum, Prolongationum administrandæ Justitiæ, ad hoc, ut sit justa, rationabilis. Seu sit Terminus in Sententia, vel

vel Transactione constitutus, seu non, licere debet, Jus quæsitum ex præmissis obtinenti, executionem semper facere, dum et quando postulaverit. Dummodo præfixio fiat hujus cum competentis Terminii prævie data legitime Notitia, illi, qui Executionem subire debet, ne pure Actus clancularius sit, qui nunquam caret nocendi, fallendique principio.

§. 324. Supponit omnes homines in uno loco habitare posse, vel debere, non autem in locis ad invicem sæpe magno spatio distantibus. Ideo præfixit generaliter Terminum satisfactionis in sententia ponendum dierum 14. Sed si reflexisset ad hoc, quod convictus crebro resideat a loco Judicii, latæque sententiæ etiam ad 60, 70 Milliaria, imo frequenter extra ipsam Provinciam Judicii. Si reflexisset temporum Hyemis, Veris, Authumni, distinctam esse rationem, quam Æstatis, non ordinasset specificè pro omni casu Terminum hunc, sed constituisset pro ratione per Judicem discernenda, Residentiæ Convicti, Terminum Satisfactionis præscribendum. Nam etiam si forte Convictus in Loco Judicii suum habeat Advocatum, licet hic statim rescire possit, eventum sententiæ, cum nihilominus satisfactio illum non concernat, sed Causantem suum. Notificare utique debet rem cum transmissione sententiæ, Convicto Clienti. Casus porro emergunt: quod intra spatium dierum 14. nec ad notitiam Convicti Negotium devenire valeat, propter distantiam, vel temporum adversitatem, prout ergo Causans semet dirigere non scit, ex hoc incidenti: Num satisfacere potius debeat bonis, quam sumptuosam pati dein præterea executionem, vel appellandum habeat, aut quærendam salutem in Via Novi. Ita ejus Advocatus semet ad proficuum magis Causantique suo placituram methodum, orientare non potest. Præcipue si consideretur præceptus

Paragraphi sequentis 325. in circumstantia hac dispositio.

§. 326. Ex hoc determinari non potest: num Judex ferens sententiam, ipse hujus executionem peragendam habeat, vel effectum hujus procurandum cum transmissione sententiæ, Comitatus, Civitatis, aut plane Oppidano, vel Pagensi, Judici pro ratione nempe situs suppositi, rei exequendæ, etiam ordinare possit? primum si decernitur intellectu §. hujus! quare debent inanes causari protellationes, ac expensæ negotii litigantibus, per injunctam sententiæ, vel Transactionis apud Comitatum, Civitatem, aut aliam Jurisdictionem improthocollationem, sufficit utique si Judex sententiam in prothocollo Officii sui Judiciarii, aut Archivo talem habeat, et cum hoc cæteroquin pro Executione compareat, secundum si disponitur: prout ex subsequo §. 327. et 328. colligi potest, pessima est ordinatio. Casus enim practici, iique continui testantur, quod raro, aut nunquam bene exequatur sententiam alter, præter illum Judicem, qui in causa versabatur, Statum illius discussit, sibi cognitum fecit, sententiamque eatenus tulit. Intelligendo primæ Instantiæ Judicem. Optimam enim hic peragit ad mentem sententiæ, statum causæ, executionem inde consultissimum semper est, si Processus etiam si per appellatam ad superius Forum deducatur, ibi denique seu aprobetur, seu reformetur in aliquo Judicium inferioris Tribunalis, ad Forum primæ Instantiæ sine peragendæ Executionis remittatur. Ingentes hinc quotidie nascuntur confusiones, nocivæ, ac sumptuose causantibus, quod aliter judicans, alter Exequens sit, qui sæpe non intellecta, vel male discussa, aut interessate assumpta sententia, pessimum procurat rei effectum, præcipue si reflectatur pulchra modo procedendi in his Norma, quod pro

Exe-

Executione non feratur, aut mittatur totus Proceſſus, ſed nuda tantum ſententia, pro adæquate informando diſtincto Exequente nunquam ſufficiens, præſertim in circumſtantiis perplexis, late patentibus, cum Actis proceſſualibus combinationem requirentibus.

In Paragraphorum 329. et 330. Diſpoſitione generatur nova confuſio, et Lis ex Lite. Ordinatur enim per hos ad invicem combinatos: ut ſi Convicti Obligatio fuerit per ſententiam injuncta, rem in ſpecie tradendi; talem Judex exequatur, et triumphanti aſſignet. Si vero res tractanda ad Manus jam tertii inciderit, liberum maneat Actori eundem tertium juxta Leges eatenus conveniendi. Vel adverſus Convictum, pro valoris, ac damni præſtatione, prout probaverit, agendi. Id quod etiam tum Locum habeat, ſi res periret, ac amplius non exiſtaret. Executio ergo manet ſine effectu. In caſu hoc eludi poteſt, per Convictum pro Volupe, Triumphante ad novæ viciffim Litis ſtatum ponendo. Conſtitutio juſta non eſt, ſed manendum potius fuiſſet, penes æquam Regni hujus praxim. Quæ ſtatuit illud, quod 1) ſub pendentia Litis nihil inovari poſſit. 2) Ut prout Actor in Actione ſua, ſemper bimembralem Convictionem in caſu ſimili petere poſſit, nempe vel rei in Natura reſtitutionem, vel expoſiti per ſe probatique valoris rei, ſolutionem, Ita Judex taliter ſtatim in ſententia ſpecificam Convictionem facere teneatur, quatenus Actorem quæſitum, et lata ſententia ſemper certum ſuum effectum aſſequi valeat, ne cauſa ſecus otioſa evadat, triumphansque novam Litem arripere cogatur. Ordinandum proinde fuiſſet ultro: ut Judicium in circumſtantia tali ſemper taliter rem decidere, ac exequi obligetur, fraus enim, et dolus eludendi, nocendique factum prout nulli patrociniari poteſt,

ex Regula Juris. Ita in malum, vexamque Triumphantis procedere nequit, sed poenam ipsius, Justitiæ complementum fallere studentis.

§. 331. et 332. Æque similem porrigunt elusionum occasionem, non determinando statim, ut tam Judex, quam Exequens, re seu in genere, seu in Specie non existente, satisfactionem eo instanti in prætio valoris, vel probati, vel cursu solito æstimandi in Convicto procurari faciant, Triumphanti, citra posteriores Ambages.

§. 333. et 334. Optime disposuisset, quod si Convictus ad opus quodpiam Triumphanti præstandum teneatur, et illud relate ad exigentiam Actoris, et latam super eo sententiam præstare seu nolit, seu non possit, sed per alium illud ad effectum deduci curandi surgat necessitas, ipso facto Judex Exequens (jam per sententiam præviam ad id inviandus) tertium quemcunque ad Accordam cum influxu Triumphantis siendam ordinet; qui opus illud prout requiritur, statuatur, et juxta Tractatum cum eodem ad omnes requisitas Operis circumstantias in totum ad vires Expenfarum prodeuntium ex Accordam, statim in tantum exequatur, Convictum, taliterque indemnitas et in omni puncto, et ad realem effectum ponat triumphantem.

§. 335. Ideo bonam, et prudentem habet constitutionem, quia est conformis usui hucdum Regni hujus solito, ac Articuli 31. 1659. dispositioni.

§. 336. Ordinatio salutaris quidem esset, sed vicissim per exceptionem subsequi 337. confunditur, dum in hoc generice statuitur; Salaria, vel Pensiones dari posse, quibus immunitas ab Executione penitus, vel ex parte; vi benignarum Resolutionum competit. Non decernendo, quæ illa, et apud quales, esse valeant, pro salvis ab Executione? Justum quidem nunquam est, et hoc probabilius

lius per aliquem Debitorem, hac forma Creditores suos eludere jam desinantem, ad §. hunc intrusum. Ut Salaria, Pensiones quæcunque immunia sint ab Executione, iusti alterius quæsitæ. In casu defectus, ut supponi debet, Fundi alterius mobilis, vel immobilis; Ratio namque per hoc exhiberetur gravium in Statu Reipublicæ deceptionum, quæ nullis immunitatibus, et Resolutionibus foveri debent. Potestati recte superiori incumbit potius, effectum Legum, Justitiæ, omni modo secundare, procurare. Qui scivit contrahere onera, vel excessus committere, patiatur in satisfactionem alterius, jus quæsitum, et adjudicatum habentis, Salarium ipsius, aut Pensio. Ne defectu Fundi mobilis, et immobilis tutus, ad similia, quæstatus ipsius non recipit, probatur.

§. 338. Videtur illud ordinari, quod si Convictus pro fundo Executionis assignet triumphanti obligationem quampiam suam activam, et talem triumphans acceptet, ut Judex in casu illo, quo obligatio hæc activa superaret substratum exequendæ positionis, attributam ex eadem obligatione partem Summæ, super præmissis Chyrographo adnotet, in reliquo Chyrographum Convicto restituat. Executio ergo hac forma absoluta, et satisfactio triumphanti omnis procurata. Pessima Constitutio! quid si Creditor ille subinde, velut possidens Chyrographum pecunias a Debitore suo levaverit, obligationemque reddiderit, non potest partem illius Summæ pro se per Executionem exassignatam, habens, eludi? præcipue si fundo alio careat Convictus, ex quo Triumphans satisfactionem assequi possit. Non sufficiunt, similia pro securitate hominum. Verum constitui una debuisset, ut si haberi possit ille Debitor, pro casu illo, statim Exequens ad Vires Summæ pro Triumphante ex obligatione tali exassi-

gnatæ recipiat scriptum a Debitore obligativum, mansura in reliquo pure pro Convicto, residua positione cum insertione hac specialiter Chyrographo, pro Executione denominato fienda. Si autem Debitor ille ad manum haberi nequeat, interea donec idem fieri non possit, per Exequentem Chyrographus ad Manus Judicarias recipiatur; erga Reversales interimales Convicto eatenus dandas, sic securifabitur Triumphans de fundo executo. Nec

§. 339. Bene providetur per fiendam insinuationem ad Jurisdictionem localem, Hypothecæ specialis, aut factæ Intabulationis, Jurisdictionis enim nulla, vigilem ita cautum, et accuratum agere potest, ut citra scitum ipsius Credens a Debitore suo pecunias levare nequeat. Et soluto semel Debito, receptaque sua obligatione, quid amplius Debitor curabit, in Possessorio alioquin suæ specialis Hypothecæ existens. Intabulationem etiam expungi curaturus, quod omnis utique Jurisdictionis ex officio facere tenetur, romonstrata semel coram se exolutione Intabulationis antea obligationis.

§. 340. Reflectens se modicum ad elusionem Triumphantis facile sequi valentem, in puncto exassignatæ licet Summæ, ex Chyrographo Convicti activo disponit; quatenus Actor Testimoniales super Executione, cum admonitione Judicaria in Authentico Apographo Debitori illi tradit curet, secus contra eundem Debitorem regressum amittat, si is Convicto Solutionem jam præstitit. Totum male! quid si illa Traditio fato quopiam vel tardius fiat, vel facta dein probari nequeat? quid si licet facta, negetur simpliciter? aut facta quidem, sed tarde confiteatur? Quid si denique Debitor per Collusionem cum suo Creditore ha-

bitam, licet post admonitoriam hanc Notitiam erga se peractam restituat Capitale, obligationemque suam recipiat, cum indorsata præpositi Dati, factamque insinuationem præcedentis quietatoria, obligationi superindicta? Casus isti evenire non possunt? Elusiones hæ Triumphantis sequi nequeunt? ita ut nec sciat dein, quid agendum sit, Triumphans, præcipue si suus Convictus fundo amplius alio non polleat. Consultius semper fuisset illud disponere, quoad §. præcedentem 338. reflexum existit.

§. 341. Præscribit: ut reus de obligationis realitate caveat. Qui vult deponere, ac præsumit semel, non reale scriptum pro fundo Executionis assignare; ille facile præstabit etiam dolsam Cautionem. Confrontando res est statim cum prætenso Debitore assignato, occasione Executionis, si fieri potest, si vero non! ergo proximius, et interea Scriptum assignatum maneat præ manibus Judicariis exequentis.

§. 342. Exigit, ut Denominans obligationem caveat etiam de eo, ut sit exigibilis: hoc etiam faciet talis, qui decipere semel statuit, sed hac re parum, aut nihil prosperatur Triumphanti. Quia dolus dolum sequi, firmareque potest. In

§. 343. Unicum salutare ad circumstantias has ordinatur, ut nempe liceat A&tori in casu vel non realis, vel non securæ, quoad satisfactionem obtinendam, obligationis, liceat Triumphanti Executionem suam in forma saltem Continuationis, ad alium fundum reiterare Convicti sui. Ratio enim Reipublicæ, Justitiæ, quo celerius administrandæ, requirit, effectuum citius Juris Complementum, præcavendam Litium multiplicationem.

§. 344. Intelligi nullatenus potest Constructio initialis, si Actor, vel Reus fructus, aut proventus, Boni immobilis pro Executione designaverit, Judex exequens eisdem Actori assignet. &c. Qualis Persona supponatur per primum Actorem? §. Si Actor, et qualis per secundum? §. Eisdem Actori assignet, in quali casu Litis, et quo sensu summendi res veniet?

§. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. et 366. Ideo boni sunt, quia Conformes Legum, et Usus forensis Regni hujus Dispositioni.

§. 367. Quid si Judex in casu §. hujus, tamen ita irrationabilis fuerit, ut ab Executione non desistat, sed hanc temerarie peragat. Quali via, et ad qualem poenam vocandus sit? potest hic aliquis in forma responsi objicere, Capituli 39. de Judicibus §. 459. Conclusionem, Quod si vero Judex Litem contra Ordinem hic statutum protraxerit, vel Partibus gravi sua Culpa Gravamen intulerit, de omni Damno teneatur. Sed hoc non sufficit, quia 1) sensus verborum horum applicatur directe ad Personas litigantium coram eodem Judice, non autem ad Personam illius, qui §. isto 367. pro objecto præterea habetur per Verba: *Vel quod is, contra quem Executio intentatur, in Lite penitus non steterit, nec proinde convictus fuerit*: quia hic supponi debet non litigasse coram Judice. 2) Meritum Dispositionis hujus concentratur pure intuitu Judicis Judicantis, non autem Exequentis. Nempe si per negligentiam, in Scitiam, vel Interessentiam in causæ progressu, gravamen alicui Partium litigantium intulerit, ad Exequentem extensione hac fieri nequeunte. 3) Generalis Dispositio: *de omni Damno teneatur*: nihil decidit specificè: quali via, coram quo Foro,  
ad

ad qualem poenam trahendus veniat? dictandum fuisset statim, Judicem talem *Exequentem* per partem violatam Processu violentiali, coram Judicio causæ hujus competente ad poenam Violentiæ, homagia etiam assumptorum, vel missorum, damnorum omnium exinde causantium, non secus expensarum Litis resarcitionem citari posse. Omnis namque talis, qui sententiæ, aut officii sui mensuram excedit, pro violento, clare habendus, et ideo quoque convincendus est. Ne Malitia talis sub prætextu officii, homines affligi, et damnificari valeant. Constitutio hæc etiam ad Circumstantias.

§. 368. Extendenda veniret, quoad exequentem Judicem.

§. 369. Dispositio cum præcedenti concentrari videtur, tantum ad duas rationes oppositionis. Illam *primam*: quod si Pars nec citata, nec convicta sit, *Secunda*, quod si substratum tale agrediatur Exequens, nec pro objecto sententiæ, sed neque Litis assumptum, adeoque excedat Exequens præscriptum Judicii. Illa vero simpliciter prætermittatur, ex Lege, ac Ufu Regni hujus antea currentis, quæ accidere potest, seu per gravem Judicii ignorantiam, seu interessentiam. Si Pars præcipitanter, non audita, non observato, præscripto debito Juris ordine, convincatur, idemque pro ratione Oppositionis statuatur, et legitimetur. Unde enim major injuria, majus peccatum contra Legem, imo ipsum Jus Naturalis Defensæ surgere potest, quam si aliquis licet citetur ad defensam, in hac tamen juxta defixam Legum Normam non exaudiat. Idem est, ac si nec citatus fuisset. Præterea Contradictio est in Terminis inter duos hos Paragraphos 368. disponit ad Calcem: ex facto interventæ oppositionis Processum eatenus sequi debere, sententia quoque ferenda, decidendum. §. ve

ro sequens 369. in Verbis: *Absque ulteriori Processu vindicabit.* Vicissim præcludere videtur omnem causam ex oppositione erigendam, consequenter nec audiendum Opponentem in sua forma, sed tantum executionem peragendam.

§. 370. Ad hunc addendum fuisset præterea: ut Judex in loco statim peractæ Executionis teneatur Partibus interessatis dare Testimoniales desuper. Fit enim crebro teste experientia: quod Judices Exequentes Circumstantias omnes sibi adæquate non prænotent factæ Executionis, dein ex Loco Executionis discedentes, post moram longiorem Testimoniales adpromptent ex oblivione quapiam vel male deducant, vel penitus exmittant, alias essentialia. Item contingunt casus frequentes: quod Judices exequentes Domum, vel ad Locum Judicii reduces, subjade apponendo Testimoniales, ex ratione interessentiæ erga unam, vel aliam Partem habitæ, longe aliter deducant multa, quam intervererint, Terminis utantur talibus, qui vel dubii sunt, vel rem totam aliter proponant, pro favore unius, vel alterius Partis, quo in Accidenti Causans dein, cui injuria, vel præjudicium factum simili illatum est, duram, aut nullam sæpe invenit medelam. In præsentia Partium, de recenti memoria operationis fiant, perlegantur, extradenturque Testimoniales. Dein exemplar simile per totum ad Archivum Judiciale referatur.

§. 371. 372. 373. 374. 375. 376. velut Consentanei Legi, praxique Regni hujus transeant.

## CAPUT XXXII.

### De Moratorio, et Pacto præjudiciali.

§. 377. Se valde breviter expedit, non aperiens clare intellectum suum, quoad statum, et usum

ufum Regni hujus. Utrum per Verba fua fupponat, Mandata *dilatoria*, vel *prorogatoria*, quorum utraque fpecies curfum fuum habebat in caufis ex minori, vel majori Cancellaria, aut Judicibus Regni ordinariis refolvi folita. An vero intendat quoad Dilatorios Terminos per Judices Caufarum pro ratione petiti concedi folitos, et frequenter neceffarios. Dubium ergo Generalitas hæc favens fenfum, producit complures in gradu caufarum difputationes, ex non clara conftitutione, quod cavendum femper in Legibus. Si *primum* intelligit, tranfeat propter præcavendas litigantium in recurfibus fuis graviores expenfas, et ad difflita fæpe loca fatigia. Si *fecundum* præcipitantiã quæ maxima eft Noverca Juftitiæ; infert cafus enim crebro occurrunt, in quibus fumma ratio exigit, dilationem uni, vel alteri Partium concedi, quod ipfum hoc opus in multis hiãc inde circumftantiis agnofcit.

§. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385.  
*De Pacto præjudiciali.* Tota eft otiofa, et protractiva, tantum principalis Meriti, difpofitio. Nam 1) fi Creditores velint, depræhendantque femet confulte facturos, citius pecunias fuas recepturos, quod remittendo quidpiam Debitori ex prætenfionibus fuis effectivam habeant fiendam fui contentationem, quare non poffent compositionem hanc *Parti præjudicialis* vocatam inire? five jam unus, five alter horum Creditorum, five citra vel influxum Judicis ad hoc, et promovendum eatenus diftinctum Proceffum omnes una hoc facere velint. 2) Liberum Arbitrium nullius in Mundo hominis reftingi potef, ac debet, præcipue ubi fubverfatur in factò, præfentanea aftequendæ rei utilitas, Negotii abfolutio, aut generofitas. Si enim Creditor potef Debitori fuo, totam etiam summam fuam remittere, quare non partem? dum ita placet, et hoc

hoc accidit, cogi namque in eo (ut supponendum est semper) nemo potest. Tanto magis, 3) si Tertius aliquis inveniatur, semetque declaret; velle alterius Onera: aut statim contentare, aut similia exolvenda (habita cæteroquin securitate) in se assumere. Cur non possit unus, alterve Creditorum particulariter, vel omnes simul, remittendo certam partem prætensionis, compositionem ejusmodi facere? præcipue dum vult hoc facere unus, vel plures Creditorum, prout enim nemo alias cogi potest ad istud, seu Jus probationis, vel specialis Hypothecæ, seu selectivitatis habeat præ aliis, vel non! ita coactionem vicissim manifestam facit dispositio §. 380. 381. et 382. præscribens: quatenus Jus prætensionis, vel specialis hypothecæ non habens, et in puncto hoc compositionis accedere nolens, portionibus suffragiis cedere teneatur. Compositio partium ex indole sua, ac proprietate Vocabuli, omnem vim, et conditionem excludere debet.

## CAPUT XXXIII.

### De Cessione Bonorum.

§. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. Tractatus de Materia hac totus, inanis est. Improficuus, et quod plurimum, insignibus maleversationibus, deceptionibusque generans occasionem, quod demonstrant sequentes, *Ex ratione primum facti* dein effectu hujus depromptæ reflexiones:

In Statu olim Romano, durissima adeo poena statuta fuit: per Jus Civile contra Debitorem non solventem Æs alienum; ut hunc non tantum vincire, verberare, in Carcerem conjicere, sed etiam Corpus ejus in partes dissecare, ac inter Creditores solutionis loco partiri licuerit, postquam inhumatum

num hoc videretur. Subinde inductum est per idem Jus Civile *Beneficium Cessionis Bonorum*. Quo liceat Debitoribus, Bonis omnibus cedere, id est: omnia sua Bona dimittere, et concedere Creditoribus, aliterq. ad semel se a petitione æris alieni liberare. *Tit. ff. de Cess. Bon. et C. qui bonis cedere possunt*. Utilitas porro Cessionis hujus erat: quod Debitor carcerem, aliaque pericula, quæ molesti Creditores inferre poterant, propter hanc quasi bonam fidem, et testatum satisfaciendi animum, subterfugiat. Illam nihilominus cessio hæc Bonorum trahebat semper ideo post se consequentiam. Quod licet Cessio Bonorum ab attentis molestiis liberaverit, nunquam tamen salvum fecerit Debitorem a Debito, solvendique hujus obligatione, si Bona cessa ad Contentationem Debiti non suffecerant, sed postquam Debitor post Cessionem hanc Bonorum ad pinquiorem successive pervenit fortunam, potuit semper de novo conveniri ad satisfactionem restantem, cum illo nihilominus Beneficio Debitori enato, ut in substantia hac, post Cessionem quæsitam, gaudeat privilegio competentis *L. 6. ff. de Cessione Bonorum*. Quod etiam tunc procedebat, si conventus erat a *Prioribus*, non vero *Novis Creditoribus* post Cessionem factam enatis, per hos enim insolidum conveniri poterat.

Jam quæ fuit hic ratio, constitutionem Paragraphorum horum faciendi, pro Regno, quando cateroquin Lex illa barbara contra Debitores non solventes Æs alienum in Provincia hac nunquam erat, quando per Tit. 28. 3æ sufficiens, imo melior, humanaque satis provisio, etiam erga rusticas personas in Materia hac facta est; et si jam aliquid inducendum erat ex Jure Civili, cur non per totum ad imitationem constitutionum illius? sed recedendo a Spiritu vero Justitiæ distributiæ, diversæ exceptiones in damnificationes Creditorum, di-

mi-

minutionem fundi, onus adhuc mutuo dantium pecunias, introduci debuerunt. Ut est statim §. 386. sub b, c, §. toto 387. §. 392. quare debet tanta, et tam longa processualis solemnitas tractandi hujus *Cessionis factæ Bonorum* Negotii præscribi? pro ut §. finalis 394. ad formam Cap. 9. de Concurſu Creditorum ordinatam inuiat, cum agratio non solum Creditorum, et fundi cessi, verum etiam ipsius Cessionem facientis. Quando res breviori manu, salutari magis Partibus compendio, institui potest.

Effectus ordinationis hujus est **I.** inproficiuus, quia Creditoribus nihil prorsus per factam Cessionem Bonorum accedit, imo decedit multum methodo hac velut ordinatur. Seu enim Debitor ille ex infortunio aliquo, proinde citra culpam *Æri* alieno solvendo non fit, seu cum culpa ipſius hoc accidat, denique Meritum semper illud est; *Ligna non habemus*: quid ergo in casu hoc quocunque juvat tota præſens constitutio. Creditores præter id: quod infortunato citra culpam effecto Debitori compatiendum sit, et ex Christiana Charitate remittendum potius in parte, vel toto Debitum. Culpose vero depauperato Debitore supersit Creditoribus Jus irascendi unice, ac murmurandi. Quare igitur debent per præscriptam solennem longiorem agendi normam, fatigia, expensæ Creditoribus accumulari. Debitori porro nullam utilitatem procurat in Regno hoc, cum alioquin ex Lege municipali Tit. 28. 3æ salvus sit ab omni personali injuria. Imo plus beneficii habeat ex eadem etiam in puncto illo, si ad pinquiores successive fortunam deveniat, quia non nisi tertiam substantiæ suæ aquisitæ adversario præstare tenetur, reservatis pro se semper duabus tertiis. Quod justissimo æquilibrio statutum est,

tam

tam pro Debitore vivere, vestiri, Uxorem, Proles, forte etiam alere, amictu providere debente. Quam Creditore suam tamen satisfactionem pedetentim assequi valente. 2) Insignis doli committendi, cum gravi Creditorum elusione per inventum hoc generatur occasio. Potest enim aliquis Machiavellismo hoc uti: habens cæteroquin substantiam visibilem, Creditum, in societate humana, contrahat Debita certa, illorum accurate solvat Interfusoria, tum ideo ne repetantur ab eodem hæc mutua; cum vero: ut per punctualitatem hanc plura possit adhuc erga Creditum accipere, Capitalia. Levat ergo, et successive plura pedetentim, ac sine observatione hominum. Pecunias interim has mutuo levatas, in nullam plurimum bonorum comparisonem vertit, sed vel recondit ad secretum locum per Creditores nunquam depræhendendum, vel tacite recondendas dat fideli alieni Amico, de quo respectu proditiōnis plene securus esse potest. Post tempus aliquod, postquam jam scit, Debita valorem Bonorum suorum notabiliter superare, *Cessionem hanc Bonorum faciat*, vendit ergo 1) per hoc Bona sua etiam quadruplo majori prætio. 2) Gravissime decipit Creditores. 3) Onere curarum æconomiæ semet liberat, quietam, felicemque vitam ex stellionatu hoc sibi procurat, omne malum in Creditores suos retrudendo. Et quod injustissimum est 4) prætextum aliquem infortunii taliter qualiter probando adhuc ex fallacia sua beneficium recipit prætendendarum Vestium, Lectorum, et reliquæ suppellectilis pro necessitate sua, Uxoris, ac Prolium requisitæ, sustentationis necessariæ, et hoc dietim præstandæ sibi, Uxori, Liberis casus hi jam inchoant etiam in Regno hoc, ex occasione inventi hujus, plures expectandi sunt, cum ingenti Reipublicæ malo, ni secus Medicina paretur.

---

## CAPUT XXXIV.

### De Restitutione in Integrum.

§. horum 395. 396. 397. 398. Cogitatio nulla est nova, præter terminum *Restitutionis in Integrum* inventionem, *primam* enim speciem restitutionis supplebat expectativa dierum quindecim, ab elapso comparitionis termino decurrentium in fixis Regni hujus Judiciis, ut erant Tabulæ Districtuales, Banalis, et Regia, non secus Forum Consistoriale, Civici Magistratus, Incattus, si non comparuit pro die certificationis, declaratus est per sententiam pure pro Contumace, expectata per dies quindecim adhuc comparitione, hæc interea cum assignatione rationis alicujus legalis secuta, recessum est a sententia lata, non facta vero, Incattus plene convictus est, in postulato actionali; In Foris ambulatoriis Comitatum Incattus recurrit pro Mandato Cassatorio sententiæ, cum assignatis Rationibus; et ponit se ad statum integræ Defensæ intra Dominium. *Secundam* speciem absolvebat, Beneficium *Novi simplicis, vel cum Gratia*, pejus vero factum per ordinationem hanc in eo: quod Beneficio hoc restitutionis in integrum, toties quoties utendi Ansa data sit, cum protractione Negotiorum longiori ut antea.

## CAPUT XXXV.

### De Feriis.

Materia Capitis hujus substantialis in Paragraphis suis 399. 400. 401. 402. 403. 404. et 405. Concentratur de eo: quod dies vacui esse debeant a Judiciis, qualiter ratio horum esse debeat, tam in Terminis, per Judicem, Causantibus ordinandis, quam

quam scripturis per hos porrigendis, et reliquis actibus Judicariis, diebus feriatis occurruris. Scopus hujus Ordinis Judicarii principalis ille fuit, ut Justitia Negotiorum processualium celerius, quam antea administraretur, non placuit enim 1) in Comitatus Judiciis forma non fixorum Judiciorum, in Causis coram Ordinariis, et V. Judlium, coram Ordinario et Substituto, Vice-Comitibus, denique Sedria Comitatenfi, Decurrentium, et Judicatorum, sed loco horum tot Judicum, in uno Comitatu 5. Processuum Amplo assumptis Ord. et V. Judlium, Ord. Substituto V. Comitibus, præterea Sedria, etiam 13 distinctorum Judicariorum, distinctas causas in Foro suo habentium. Constitutum est pro singulo Comitatu majori; in minoribus autem etiam duobus unicum saltem subalternum: quod omnium præmissorum tot distinctorum Judiciorum causa solum nunc revidet, ac judicat! 2) In fixis Judiciis, prout erant: Tabulæ Districtuales, Banalis, et Curialis, non placebat: quod Fora hæc medium tantum Annum Celebrationi Judiciorum voveant, alteram vero medietatem Anni pro Juristitio habeant: Id circo quatenus celerior Justitiæ administratio procedat, perpetuo Confidentia ubivis Tribunalia constituta sunt, et ut res taliter appareat primo obtutu, dies aliquot tantum in Anno pro vacuis a Sessionibus celebrandis ordinati sunt Capite hoc; præter illos singulæ Hebdomadæ dies tres, quippe *Sabbatum*, *Lunæ*, *Martis*, qui æque vacant Judiciis propter elaborandas domi operationes Referendarum suarum in Sessione fiendarum. Jam! num Intentio hæc bona quidem accelerandarum causarum affectuta sit effectum optatum, melioremque forma priori procedendi, discernatur ex sequentibus:

Annus omnis a potiori in se continet Dies

Nro. 365.

P

Ex

Ex his ergo superioribus diebus 365 juxta Capituli hujus §. 399. vacui a Judiciis dies subtrahendi veniunt sequentes, et quidem:

1) Dies omnes Dominici, qui in Septimanis Nro. 52. Occurrunt Nro. 52.

2) Omnes Festi de præcepto, qui notandum nec in Dominicis puncto præcedente contentis, neque in subsequorum punctorum exceptis diebus compræhenduntur Nro. 8.

3) A Festo Nativitatis Domini usque Epiphaniam inclusive dies Nro. 13.

4) A Dominica Palmarum usque ad secundam Paschatis dies Nro. 15.

5) Rogationum dies Nro. 3.

6) A Festo Corporis Christi usque ad Octavam dies Nro. 8.

---

Dies Nro. 99.

7) Ex singula Hebdomada (excussis jam superioribus diebus Dominicis) a diebus duntaxat 6. considerata, quæ remaneret ex Annis Septimanis in toto 52 (subtractis jam præmissis diebus Nro. 99) adhuc Nro. 37 Hebdomadæ dies 4 detrahendi veniunt dies 3 (seu rata medietas dierum 6) qui vacui sunt a Judicio, faciuntque in toto Septimanarum Nro. 37, Dierum 4. Dies Nro. 113.

Præterea non reflectuntur hic Septimanæ sex, quæ juxta particularem Instructionem singulo Judicium per Annum conceduntur, et quibus abesse potest a Loco Judicii pro Judiciis, seu Sessionibus celebrandis, si dies 212 subtrahantur a diebus superioribus Nro. 365. manent Nro. 153.

Nunc judicetur ergo, utrum non faciat plus Anni rata medietas, si plene consecraretur (nulla die excepta pro Justitiæ administratione) remansisset-

fetque ut antea, pro Judiciorum, ac Sessio-  
 num Celebratione etiam in ipso physico tempore? alia li-  
 cet medietate pro vacuis a Sessio-  
 nibus diebus relin-  
 quenda, quam præfens constituat Methodus? E. G.  
 Ordinatus fuisset Mensis *Januarius* pro Judiciis ce-  
 lebrandis, *Februarius* vacasset, *Martius* vicissim Ju-  
 diciarius, *Aprilis* dum Seminatura Vernalis, Pascha-  
 tis Festa a potiori sunt, vacuus. *Majus* Judicia-  
 rius. *Junius* in quo falcatura Fœni agitur, Messis  
 disponitur, vacuus. *Julius* Judiciarius. *Augustus* in  
 quo convectio Frumenti, vacuus. *September* Judi-  
 ciarius. *October* in quo vindemiæ peraguntur, va-  
 cuus. *November* Judiciarius. *December* denique  
 vacuus. Quo Mensæ æconomica Familia mutatur,  
 nova disponitur, prior contentatur, computus, re-  
 signationes Utensilium sibi Creditorum init. Poste-  
 rior vero Anticipata Deputati, ac resignationem vi-  
 cissim Utensilium recipit. Pro tempore vacuorum  
 horum a Sessio-  
 nibus Mensium distribu-  
 erentur om-  
 nes Processus jam submissi prævie Judici-  
 o æqua for-  
 te per Præsides juxta accuratam specificationem,  
 recipiendasque super singulo, ac ejusdem univ-  
 ersis provocatis Documentis, Reversales in una Com-  
 pague ad casum pluralitatis deductas Affessoribus, per  
 Juristitium Mensis discutiendi, extrahendi, ac juxta  
 feriem præsentatæ prius pro sententia causæ præ ma-  
 nibus Præsidis habendam, pridieque fiendam semper  
 per eundem Præsidem designationem, diebus Ses-  
 sionum successivis absque ulla, præter Mortis, aut  
 gravis infirmitatis legitimandæ, alia excusatione re-  
 ferendi.

Ratio præmissorum est *prima* illa: quod tempus  
 ipsum physicum Sessio-  
 num pro Judici-  
 o celebranda-  
 rum agregaretur. *Secunda* pro Judicibus hac forma  
 semet possessionati viri, maturi, experientiæ in om-  
 nibus habite insinuarent, qui semper gravioris Ju-  
 di-

dicii sunt, præsertim in facti quæstionibus decidendis, purioris ab interessata forditie animi, securioris regressus contra eosdem si peccarent in aliquo contra §. 439. De Judicibus conclusionem, quam ii, qui possessionati prorsus non sint. *Tertia* quod possessionatus ejusmodi Judex tempore Juristitii emensi, et officio, et statui æconomix suæ satisfacere una valeat. Nunc porro Judex vel nihil debet habere, vel si habet? aut vendere, primo semet offerenti aut exarendare cum damno suo, aut denique plene semet concedere Domesticis suis, sæpe luridissimis, infidelissimis, cum ingenti suo, ac Reipublicæ quoque damno, si res præcipue campestris agricultura debite non curatur, seu per homines constitutos, seu Arendatores, hæc autem mala optime penetrabit talis, et agnoscet, qui in Statu æconomico versatur. *Quarta*: Judices in extrahendis causis, per tempus hoc Juristitii, uno filo, ac defixa pure ad Negotium acceptum Mente, et melius, et facilius, celeriusque laborarent, quam interruptis continuo jam ad unam, jam aliam contra distinctam Materiam, jam judicandi, jam referendi cogitationibus, præsertim dum Negotium unum excutiendum plures sæpe requirit dies. Ita confitebitur esse vera ille, qui in moderno proceduræ situ operatur.

Opponi possunt hic sequentia: Ergo Judex accipiet Processus excutiendos secum ad Bonorum suorum locum, quid si mortuus fuerit in Bonis, qualiter Processus rehabendi! Ita est: accipiat secum, quia comodius, gratius, et intensius ibi laborabit. Habeat autem singulus talis ex strictissime incumbente obligatione officii cistam distinctam in forma Tumuli Lamina vestitam, bona sera provisam. Cum inscriptione circa seram ma-

gnis Literis *Processus Judiciarii, Judiciii T.* ut si facto quo perderetur, reinveniri. In loco Incendii versaretur, facile salvari, aquis mergeretur, aut in Loco humido aliquandiu hæreret, scripta tamen inviolata maneant ad cuiusmodi cistam non aliud, quam *Processus pure, Actaque Officii* ponere liceat, et in hac semper conservare oporteat pro omni *Juris Termino* referenda, cessante vero *Officio*, qualitercunque, *Judicio* tradenda inomisse. Si porro *Judex* ille decederet in Bonis suis, per tempus *Juristitii*, audito certo *Nuntio*, *Præses*, vel *Vice-Præses*, *Judicii*, illico comembra duo *Tribunalis* exmittat, cum specificatoriiis receptorum ad *Manus defuncti Actorum* reversalibus, qui talia prius, num integra sint, revidenda, una cum cista ad *Locum Judiciii* referant. A *Vidua demortui*, vel *SUCCESSORIBUS* quilibuscunque, tanquam publica, et summe privilegiata ab intricis, excusationibus, et remoris qualitercunque excogitabilibus. Hæc est securitas, ac responsum pro difficultatibus objectis. Tanto magis sufficiens, quod nec in moderna *Norma* procedendi, si omnes excutiantur circumstantiæ securiora sint *Acta Judiciaria* a fato *Incendii*, *Aquarum*, *Loci humidi*, deperditionis. Nunc etiam occurrere debeat, possitque necessitas, post *Mortem* decedentis *Judicis*, *Acta Judiciaria* ex hospitio ipsius a *Vidua*, vel *SUCCESSORIBUS*, aut saltem hospite *Domus* recipiendi. Cum nullus utique *Judicum* in *Domo Sessionis*, *Acta Officii* sui servare, in illis laborare possit, ac soleat, donec plene non absolvatur *Negotium*. In reliquo etiam si casuum fortuitorum prævie reflexorum aliquis contingeret, gravis ideo jactura, et confusio non sequeretur, ex quo allegata imparibus, *Documenta* vero improcessuata in *Statu Originali* nunc sem-

per Causidici apud se retineant, consequenter renovari, substitui facile queuntia.

Præmissa omnia realia esse evincit ipse profectus Normæ modernæ actualis, quamvis acceleratio processuum decidendorum quæsitæ, superata fuerit, nihilominus tarda tamen Justitiæ administratio, tam in Foris primæ Instantiæ, quam vero et plurimum Revisoriis, postquam observaretur, secuta est ordinatio dividendi singuli Judicii in duplicem Senatum, quo invento etiam non est prospectum seu debitiæ, seu celeriori causarum definitioni. Non *debitæ*, quia per paucas Personas, superficiali, ac coacta celeritate sæpe obsolvantur Negotia Processuum, ut tantum ad requisitum, et præscriptum, comendationemque Judicii multæ causæ decidentur. Non *celeriori*, quia ex hoc incidenti inferiora Fora copiam causarum decidunt, tales immani Numero, ex omnibus Regni Partibus Via Appellatæ Budam expediunt. Hic Tabulæ Regiæ unicum superrevisorium Forum existens, ingenti huic copiæ Litiæ, quo citius discutendarum sufficere tamen nequit, quamvis una Sessione etiam septemdecim Causas revideri faciat experientia Teste. Hærent proinde Processus sub Appellata, unius saltem Districtus etiam Centeni per plures Annos, absque conclusione, quid ergo talis acceleratio juvat seu Actorem, seu Incontum, licet in primo Foro cito assequatur sententiam, interlocutoriam, vel finalem, si in alio superiori loco res diu moretur, præcipue si consideretur hoc 1) quod omnis nunc sententia etiam interlocutoria Judicatus, Instituti, Actoratus, Appellatam recipiat, quod 2) omnis sententia etiam finalis intra Dominium appelletur ad Tabulam Regiam.

## CAPUT XXXVI.

### De Intimatione Decretorum ac Mandatorum Judicialium.

§. 406. Melius fuisset, si disposuisset una statim, ut primam scripturam Judicio porrigens in causa; in eadem dorsaliter habitationem illius specialiter indicet, cui scriptura talis sonare debet, ad respondendum, in hoc enim plurimum consistit, tum ad Justitiæ administrationem, cum vero Judiciæ directionem, quatenus sciatur ex prænotato ejusdem Loco habitationis, qualis 1) terminus competens ad responsionem primam fiendam ipsi præfigi debeat. 2) Quorsum, et ad quem locum existentæ dirigenda res veniat.

§. 407. Per inventam nunc personalem Actionis exhibitionem Reis Conventis. Quid mali causavit in Regno, reflectitur jam superius ad §. 38.

§. 408. Inventio hujus magnam non solum retardationem Justitiæ, verum etiam ingentem calamitatem, et grave onus expensarum causavit litigantibus, præcipue Advocatus. Casus namque occurrunt frequentiores, quod Actor habeat in Jus citandos etiam 70, 100 accludenda vero Actioni Documenta, in probandam ejus expositionem, occurrunt etiam Filerarum 40, si hæc ex dispositione præsentis §. singulo Litis consorti transmittantur, E. G. Nro. 70. in Jus vocandis, facit Fileras Nro. 2800. præter actionales Libellos. Jam donec ista describantur, quantum temporis, quantum expensarum! præcipue in extrema moderno tempore scribarum penuria, postquam Juventus moderno situ rerum, ac educationis, partim nec apta jam datur, partim neque se applicare pro Ju-

ridicis vult, sine condiscendæ experientiæ, propter arduam, et non facile provifam ſpem acomodationis futuræ,conduci proinde debent ſcribæ perCauſantes, et Advocatos, quibus filera a potiori a Den. 25. ſolvenda venit, conſtituat expeditio exordialis igitur fileras 2800. faciet adpromptatio tantum i. ſcripturæ actionalis fl. 700. ubi ſunt reſidua? Quantum denique perſolutionem Poſtaliũ, ſi occurrat complurium Exemplarium per Curſum publicum, ad ſubalterna Judicia, vel alia Regni Dicasteria, aut militarem Jurisdictionem tranſmiſſio, ſine procurandæ exhibitionis, gravia, et intollerabilia fere incomoda generata ſunt factò hoc, quæ optime ille agnoſcet, qui in effectu pratico rem experitur. Cauſa Metalis occurrat ſeu ex *Uſu*, ſeu *Jure* ſuſcitanda adverſus plures Incattos, Actor inter cætera Mappam quoque juxta ordinationem modernam adjungendam habet actionali ſuo Libello, ad deſingendum ductum ſuum actionalem, pro Meta tam cauſæ, directione citatorum, et ipſius Judiciĩ conſtituenda. Mappa a potiori multum conſtat; hæc ergo æque in tot exemplaribus fiat, tranſmittaturque, quot citandi veniunt? priuſquam hoc Actor faciat, potius nullus Actoratum induet. Manebunt Poſſeſſoria in conſuſo, hoſtili, necibus, ſpoliis, aſſiduis, obnoxio Statu cum gravi jactura etiam quietis publicæ. In veterè Statu proceduræ Regni hujus, Actor erri-gens Cauſam, Actionemque pure ad certum ſuum objectum delineatam, cum accluſo uno a potiori fundamentali, rei quæſitæ Documento, exhiberi fecit ſingulo Incatto, et hoc vel perſonaliter, vel medio ſervi conventionati, ſubditi, Jurisdictionati Boni illius, quod ſub Litem cadebat, reſidua vero univerſa producta ſua etiam ſi 100 erant Incatti, in uno ſaltem exemplari improceſſuavit Cauſæ, proviſione, ac diſcuſſione omnium, in Cauſam at-

tractorum, Nunc tanti laboris, expensarum, oneris, personaliter pure fiendæ singulo R. C. exhibitionis malo, adeo concutitur Actor, quo a quæsito, vel justissimo (nisi extreme potens sit) desistere debeat, ipsi Incatti horere debent ad Motionem Litis alicujus magis sumptuosæ, metu justo perculsi, pro casu amittendæ Causæ, consequenter juxta secuturum §. 421. adjudicandarum omnium Actori Litis expensarum, quarum multæ nec erant, nec fieri debebant unquam antea, in priori Norma, sed constitutio hæc nova Ansam præbuit; est ne autem hoc providere de facili, celeriorique Justitiæ administratione? Judicet omnis æquitas!

§. 409. Tantum curam inanein Parti adversæ, non secus Judicio laborem majorem faceffivit: Parti adversæ ideo: quod attendere debeat, num aliquem in loco Judicii constitutum habeat, qui Decreta Judicialia recipiat? Num habitationem suam pendente Lite mutaverit, quorsum? et an talem judicialiter tempestiveque insinuaverit? et si prævia facta non sunt, petere apud Judicium, ut Decretum Judiciale in Curia affigatur. Judicio ideo: quod circumstantiam hanc distincte cognoscere debeat, affixionem decernere. Allegata ad Judiciale Decretum spectantia conservare, ac quamprimum semet aliquis eatenus insinuaverit, tradenda disponere. Prius horum omnium nullam sollicitudinem habebat seu litigans, seu Judicium. Pars illa cui incumbebat in Lite, quidpiam agere, respondere, semetque defendere, si providas non fecit ex parte sua quoad attentionem in cunctis dispositiones, quamprimum semel citatus est, aut citavit ad Litem, et coram Judicio non egit agenda, ad postulatum Partis contrariæ. Brevi manu sententiam recepit, vel absolutoriam ex paribus, vel convictivam per non venit, aut non defendit, juxta illud

solitum Regni hujus axioma. Vigilantibus Jura  
serviunt.

§. 410. In practica operatione, sæpe ingentem  
confusionem, sæpe impracticabilitatem produxit, quo-  
ad Defensam unitim medio unius scripturæ per plu-  
res in causam attractos statuendam. Contigit nam-  
que casus: quod unus Citatorum vel dilationem pe-  
tierit, vel ante dimidium Terminum ad Evictionem  
provocaverit; alii Consortes Litis de circumstantia  
non scientes, responsiones suas pro Terminum ex  
parte sua occurrente statuerint, ne per contumaciam  
inrotuletur causa. Jam ergo Unio Defensæ statim  
in casu hoc cessare debuit. Accidit: quod unus,  
duove Litis Socii, vel ex collusionem cum Actore,  
vel negligentia, aut diffidentia Jurium, responsio-  
nes suas pro Terminum haud statuunt, consequenter  
cum residuis Causæ consortibus præviam respectu  
unitim statuendæ Defensæ correspondentiam neque fo-  
veant. Cæteri ne impingant propter hos, in Sta-  
tu Litis, cogebantur utique ex parte sua scriptu-  
ram particularem præsentare. Quotidie expertum  
est, quod in pluralitate Citandorum, jam uni Men-  
se Januario, alteri Februario, tertio plane Mense  
Majo fiat actionalis Libelli exhibitio, propter in-  
ductam in omni casu personalem exhibitionem. Cui  
ergo prius facta est exhibitio, illi etiam prius oc-  
currit Terminum responsionis. Ne igitur juxta §.  
262. per contumaciam vincatur, statuendam ha-  
bet ex parte sua Defensam, quin talem cum reli-  
quis jungere possit, ad unam scripturam. Optima  
forma hoc in puncto erat, ac citra omnes Amba-  
ges sive Collitigantium, sive Judicii in antecedanea  
procedura. Partes namque omnes II. seu unicum  
Jus, seu distinctum foventes relate ad subsequum  
§. 411. ad unum Processum, et certum causæ Ter-  
minum citabantur, singulus ergo prout ad unam

comparere debuit diem, ita omnes Defensam suam in Compage una Chartæ processualis ducere. Et si Causam ad alium Terminum differi contigit, vicissim pro novo illo, et subsequo Termino Partes comparuerunt, ac Defensæ suæ Allegata continuarunt. Sic in una debita Compage tam Processus, quam Chartæ semper procedebat Negotium. Nunc centena etiam frustra sunt a se divisa, distincta, tantum Allegatorum unius Causæ, quorum una facile quarta constituit vacuam Chartam palliorum, una tertiana dorsalium Ceremoniarum, et Inscriptionum, tempus duntaxat præciosum, tam apud Advocatos, quam Iudices pro aliis utilioribus, magisque necessariis convertendum, gratis extrahentium.

§. 411. Dispositione sua vicissim generat confusiones Parti actoreæ, per separatorum Processuum injunctam proceduram, contra in Jus vocatos, distinctum Jus foventes. 1) In eo: quod non possit divinative prævidere, Actor, num citandi sui in objecto processuali Jus unitum, vel distinctum foveant. Sed hoc ex successivo duntaxat Defensæ ipsorum eventu observare possit, et debeat, consequenter semet quoad motionem Litis, per separatos Processus instituendam dirigere nequeat. 2) Quod per separatos hos, de uno eodemque tamen processuali objecto, Processus, Actor onus habeat ingens, tot distinctarum, et toties describendarum, statuentiarumque ad Prothocollum Exhibitorium scripturarum, diversis temporibus, jam uni, jam alteri perpetuo invigilandi, Responfa dandi Obligationem, nunquam possit in Nexu debito fixo, quæsitum suum agere, tueri, ad semel cum omnibus Negotium suum processuale concludere; hujus autem, prout Paragraphi prioris inventa, rationem habeat pure augendarum tam Judicarium, quam postalium Taxarum cum notabili Cauantium aggravio. Quæ prima fron-

te exiguam positionem Crucigerorum expositorum considerando, tollerabiles videntur, sed in progressione, et conclusione Negotii alicujus processualis, per frequentiam Actuum, et Computum finalem, solemniter sentiuntur.

§. 412. Justum plane non est; ut Actor in casu illo: quo suus R. C. extra Locum Judicii degens, in prima scriptura sua neminem constituat, neque indicet, in Loco Judicii, cum Decreta Judicialia subinde ex parte sua intimanda veniant, habeat curam, et fatigium primum, medii apud Judicium implorandi, respectu fiendæ ipsi personalis Intimationis, dein expensas adhuc pro hoc ex Marsupio suo in antecessum suppeditare debeat, facile successive amittendas, præcipue cum longiori Litis protractione Partis R. C. sequi volente absolute, aut nullo Convicti fundo, fors subsequere prodire queunte. Vigilantibus Jura serviunt. Viderit ille Citatus, quales Dispositiones instituerit in Loco Judicii, ratione Allegatorum per Actorem ad Locum Judicii statutorum, ad se recipiendorum, et præstandæ in Contrarium suo Debito tempore Defensæ, quid hoc ad Actorem! quid Judicem spectare debet! si pro competenti Termino Obligationi suæ non satisfaciatur, convincatur velut antea per Contumaciam in postulato actionali, et per novum extra Dominium, negligentiam suam, vel proterviam expiet.

§. 413. Æque protractionem tantum Litis generat, per suspensionem Decreti, per fiendam prævie admonitionem Actoris respectu constituendi in Loco Judiciarii Procuratoris. Seu Actor extra, seu intra Ditiones hæreditarias degat, quamprimum causam semel erexit, viderit quales Ordines de prosecutione Litis suæ fecerit, satis est,

fi citatus debito tempore responderit, Actor vero facto hocce non invigilaverit, et ad idem suo competenti Termino non reposuerit, feratur juxta interventa Allegata, et probata sententia. Ejusdem considerationis, et effectus est, ordinatio sequentium :

§. 414. 415. Propter inventam in omni casu personalem Actionalis Libelli R. C. exhibitionem. Circumstantia hæc sola, donec Actio per Judicium, ad Postam detur, donec alia Jurisdictio (ad quam sine exhibitionis inviatur) Politica, Juridica, vel Militaris, talem percipiat, respectu fiendæ Exhibitionis, Ordines vicissim faciat. Donec Individuum illud, quod Exhibitionem facere debet, talem peragat. Donec Terminus responsionis, si in Regno degat, dierum 90, si in Ditionibus hæreditariis, dierum 120. Si extra has, dierum 180. §. 39. requisitus adveniat, etiam duo Anni transeunt, quin Causa vel primum gradum suum processualem attingat, prætermittitur hic primi Termini petenda etiam bis per Citatum Dilatio, quæ vicissim minimum medium Annum absorbet; In situ prioris Regni hujus proceduræ Causa si mota est coram fixis Tabularum Judiciis, et serialis non fuit, aut coram Comitatu fixa Judicia tenente, interea temporis etiam plene conclusa habetur, tacendum hic est, de infinitis aliis, per novum hunc Judicarium Ordinem concessis sub ipso progressu Causæ dilationibus, donec Eviçtoribus, si occurrant forte, aut super Eviçtoribus Eviçtionales Libelli personaliter exhibeantur. Donec singula nunc sententia ad superrevisorium Fororum appellari volens, illuc transmittatur, ibi Negotium revideatur, inde remittatur, Causa vicissim ad continuativum Cursum ponatur, Anni, et Anni transeunt. Ita ut quæstio justa surgat, ex  
prac-

practica experientia depræhensa, num per constitutionem hanc novam multo tardior inducta non sit Caugarum decisio, quam antea? in multis namque ubi recte præcipitari non deberet Litis negotium, acceleratæ sunt ad speciem una via circumstantiæ defensæ, elaborandique adæquate per Collitigantes Partes Negotii processualis, alia porro via, gravissima, major quam antea, et in plurimis investa est Caugarum protractio. De Expensis Litium modernarum nec dubium est, quod multo grandiores feriant nunc Litigantes, quam prius, sola enim procuranda tantum personalis Actionum Exhibitio, præcipue compluribus Citandis, tantum causat onus expensarum, quod illis antea Litem etiam totam terminare potuerit Actor.

§. 416. Adnecti specialiter debuisset, ut omnis Litigans Procuratorem talem constituat ex parte sua, qui coram illo Iudicio agit Patronum Caugarum, coram quo Litem decurrentem habet, multi enim R. C. præcipue potentiores, pure ad protrahendam Litem Actoris, alios Extraneos constituunt Advocos, scientes Terminum dandarum suarum scripturarum, futurum a die factæ Intimationis, quæ citius semper fit, Advocato in Loco Iudicii cæteroquin residente, relate ad §. secuturi 418. dispositionem.

§. 417. Producit, et Causantibus, et plurimum Advocatis, magnum onus tam laborum inanimum, quam expensarum, dum singulam rem, quævisque illa occurrat in Negotio processuali, in duplo scriptam, Ceremoniis dorsalibus instructam, porrigere Iudicio coguntur. Quæ omnia non requirebantur, in forma priori. Non erat tanta scriptitatio, tanta Chartæ strages, tot Scribarum necessitas, ubi alias horum, ætate moderna summa penuria!

§. 418. Unam latentem, et non facile observabilem nisi ex practico usu, sovet in sinu rationem prolongandarum Causarum, E. G. præsentatur per R. C. Responso die postremæ, vel penultimæ Sessionis ante Ferias Juristitiales Festi Corporis Christi. Scriptura hæc jam adhæret statim, aut per dies decem, donec tantum redeat tempus celebrandarum vicissim Sessionum. Donec iterum res, per Referentem discutiatur, referatur, decretetur, et ad Manus Actoris, vel Advocati ipsius veniat, pro danda eatenus Replica, effluunt denuo aut dies octo. In toto ergo elabuntur gratis, ac sine omni fructu Causæ, dies facile 18. Hoc accidat crebrius per Annum in unius Causæ promotione, etiam Anni quadrans inaniter perditur, propter Ceremonias has N. O. Judiciarii, præscriptas Decretationes super singulas scripturas fiendas, quæ tot sententias constituunt, nunc in Causa, quot indorsatæ Decretationes, toties Taxarum Summam augent, quoties interveniunt, præcipue si consideretur, §. subsequi 419. dispositio, in casu plurium Litis Consortum subversante. Singulariter vero ad id reflectatur, per quot manus vagari debeat aliqua res, Judicio porrecta, donec ad Partem concernentem veniat, nam 1) venit ad Prothocollum Exhibitorum, 2) ad Præfidem, 3) hinc ad Referentem, 4) ad Confessum, 5) ad Consilii Prothocollum, 6) ad Secretarium, 7) vicissim ad Referentem, et crebro etiam ad Præfidem pro ratione Materiæ, 8) ad Expeditorem. 9) ad Taxatoratum, inde 10) iterum ad Expeditorem, 11) ad Curforem, 12) plane ad Partem concernentem, quanta, et inanis rei circumlatio, et adhæsiō! si talis pereat, vel longius adhæreat solito tempore, ubi Pars interessata rationem exiget, a tot Manibus? mittetur a Pontio, ad Pilatum.

## CAPUT XXXVII.

### De Expensis Judicialibus.

§. 421. Justissime disposuisset, si omni illi, seu sit Actor, seu in Causam Attractus, seu Evictor qualiscunque, qui causa sua cadit, expensarum legitime liquidandarum Convictionem dictasset, citra ullam exceptionem. Hoc enim est consultissimum medium sive ad minuendum numerum Litem in Societate Civili, sive ad compendiandum ipsarum Cursum. Non facile Actor erigeret Causam, nisi prævie discussam. Nec citatus temere ad Defensam prorumperet Causæ, aut vexativam Litis protractionem! si flagellum hoc semper expectandum haberet. Per amicam coalitionem multa superarentur. Non fatigarentur tanta mole Processuum Regni Judicia! Lex nulla debet talis constitui, quæ relinquat quidpiam pro Judicis arbitrio, velut in hoc attingitur §. secus Legis proprietatem non habet, quæ fixam semper normam statuere debet Actuum agendarum, vel omittendarum Ansam præbet vel uni, vel alteri Parti magis favendi, casum permittit indecisum, disputationibus alia Negotia retardantibus obnoxium. Quamprimum aliquis rem juste quæsitam obtinet per sententiam æquum est, ut expensas quoque in id factas recipiat, et in talibus convictus propter non præstitum *suum cuique, proterviam suam*, malumque animum explet. E Converso. Si quis absolvatur plene a quæsito Actore, reciproca svadet Justitia, ut Actoris ejusmodi vexandi, nocendi studium, et inquietudo plectatur expensarum Adjudicatione. Hic est verus Spiritus Legum, et Justitiæ. Ista nihilominus expensarum processualium Convictio dependeat semper ab ultima superrevisorii Judicii, sententiæ inferioris Fori,

quo-

quoad meritum Causæ a probatione, vel reprobatione. Ita ut illa Pars, quæ in appellatorio Foro convicta fuerit, expensarum quoque onus ferre teneatur, etiam si in priori Tribunali favorabilem forte receperit sententiam, quam in casu hoc supponi debet, altius Forum rectius tulisse Judicium.

§. 422. Nihil novi induxit, hoc enim semper in usu cæteroquin processuali Regni hujus erat. Quod Actor ex neglecta promotione Causæ præter absolutionem Incatti, in expensis convictus sit. Incattus vero per non defendit præter Convictionem in quæsito processuali, etiam expensis oneratus fuerit.

§. 423. Confusus est propter inadæquatam sui explanationem, supponi namque debet hic casus ille, si quæ nempe Partium a Judice inferiori favorabilem pro se receperit sententiam, dein vero Via appellatæ per reformationem superioris Judicii, onerosam vicissim in Causa reportaverit sententiam, ut talis nunquam in expensis condemnetur, nisi talium adjudicationem Indoles Causæ juxta Legum dispositionem exigat.

§. 424. 425. 426. 427. 428. Ideo boni, quod alioquin conformes sint antedecanæ praxi forensi Regni hujus.

§. 429. Intentionem optimam habuit ad præstandam securitatem in Causam attracto, respectu inaniter causandarum Litis expensarum, per Actorem ignotum, visibili substantia omni destitutum, et Causam ne fors sine fundamento erectam amissurum, sed dispositionem firmam, et ab omni elusione securitatem salvam eatenus non constituit, quid enim illæ Testimoniales etiam fidei dignissimæ Jurisdictiones a icujus statuent securitatis Citato in casu hoc? possunt Testimoniales perhibere, Actorem habere rundum, sed tacere, et non scire de oneribus jam

effectivis, fundum forte æquantibus; aut plane superantibus. Potest hodie aliquis habere fundum, etiam non oneratum, usque Litis nihilominus exitum, tali carere. Securitas ergo manebit expensarum in pura Charta Testimonialium. Sed ordinandum fuisset quoad talem Actorem, et Normam Juris antiqui Romanorum, quatenus Summam certam proportionatam, ac per Judicem illum, coram quo Causa movenda est, definiendam in forma Lytri, deponat ad manus Judiciarias, erga accipiendas Reverfales, quæ usque Litis eventum, pro fundo securitatis retineatur.

§. 430. Definire debuisset, quis pro paupere habendus sit? utrum ille, qui omni profus substantia mobili, et immobili simul caret (velut revera hic pro paupere statuendus est) vel qui immobili quidem caret, sed Capitalia elocata habet, utrum ille pauper sit, et sub Nomine hujus, quæ talis, Lis pure erigi debeat, vel Consortes alias Juris sui quærendi, habeat potentes; quorum Nomine velut Jus unitum foventium, cæteroquin Lis promoveri potest, multæ namque in practica experientia sub Titulo paupertatis fiunt nequitæ, ac elusiones.

§. 431. Debuisset vel subnecti statim §. 429. vel intrare eundem. Cæterum non videtur sufficiens ratio: quare incidens quæstio respectu Cautio- nis majoris, vel minoris inter Actorem, et ejus Citatum non posset brevi manu cum præsentatione statim actionalis Libelli per Judicem decidi, sed propterea debeat Lis distincta incidencialis vocata veriti. Cum multiplicatione tatum Causarum in genere humano. §. 429. non admittendum Libellum actionalem præscribit, si Cautio non præstetur per Actorem. Iste vero Litem ob incidentem hanc controversiam nunquam suspendendam dicit: qualiter ista coherent.

§. 432. Dispositio est valde incauta, et generalitate sua multas indignas in Statu Civili post se trahere valens sequelas. Non enim deciditur: in quo consistere possit manifesta illa injustitia, vel insignis petulantia? utrum Patronus Causæ seu complex sit facti Causantis sui, seu non, ita vicissim Causans, seu nocens, seu inocens plecti possit, et debeat? quæ illa ratio Status, utrum nobilis, aut ignobilis habenda sit? vel tantum Officii, potentioris, aut pauperioris sortis, non habita reflexione Nobilitatis? quid si Judex ex odio præhabito vindictæque studio quopiam erga Partem aliquam, vel ejus Patronum, ex ratione insufficienti pœnam pecuniariam exegerit, aut Corporalem forte Personæ Nobili, fiducia §. hujus stollidaque ferrocia inferre voluerit, quid si animus nobilis, generosusque Causantis illius, vel Advocati, talem subire noluerit, imo repressalibus usus fuerit, ac vi deffensæ naturalis, Judicem talem pro tristi omnium exemplo, ac spectaculo mutilaverit, vel vita prorsus privaverit. Malis eventibus non est per Leges quærenda, et porrigenda occasio. Sufficiens, et bona est in his circumstantiis Jurium Regni ordinatio, si quæ Partium, vel Advocatorum in Processu Causæ injuriam verbalem dicto, vel scripto comisit adversus contra Partem, vel Judicem, convincebatur in poena violationis Sedis fl. 100. præterea Partis læsæ (si Nobilis erat) Causam dehonestatoriam tollerandam habuit, quippe pœnæ fl. 100. et expensarum. Si realem Personæ? Æque præter pœnam violatæ Sedis, actum minoris, vel majoris potentix, erga Nobilem incurrebat distincte. Si quæ Partium falsum Documentum scienter induxit, huicque adhæsit, aut falsificavit quodpiam in Processu, præter Causæ amissionem, citabatur, convincebaturque distincto Processu in Crimine probato falsarius: aliæ

porro manifestæque injustitiæ, vel insignis petulantia circumstantiæ accidere nequeunt sub decursu Litis.

## CAPUT XXXVIII.

### De Advocatis.

§. 433. Dispositio hæc sola, non ut producat bonos Advocatos in Statu Civili, sed nec generat aliquos pro Suplemento Causidicorum a tempore inducti novi Ordinis Judiciarii, teste experientia. Advocatus ut bonus paretur, non sufficit tantum, quatenus solam Theoriam, velut Psittacus condiscat in Universitate quapiam, velut Academia, ac relate ad hanc rigorosum Examen subeat, sed præterea: ut praxim sibi familiarem reddat, secus quomodo suam Juris scientiam (prout hic exigitur) debitis probabit experimentis? quomodo in praxi sibi ignota talem applicabit, nisi multis Annis cum jactura Causantium suorum fundatum semet practicum faciat, practicum porro scientiam apud nullum Mortalium, in moderno situ novi Ordinis Judiciarii haurire potest Juvenis, nisi apud Advocatum. Ad talem autem hodierni Juvenes ire prorsus nolunt, dum propter pessimam aetate hac jam in scholis captam educationem; dum vero non separatam hac via accomodationis suæ secururæ fortunam. Cum in extremo plane gradu jam Nepotismus invaluerit, per omnes Regni hujus Angulos, afflictissima fors Advocatorum, et per hoc Causantium, nunc ubi maxime chartaceum Seculum est, conductitiis Scribis uti cogitur. Nemo propter hauriendam scientiam practicum, honoris stimulum spem futuræ accomodatlonis (quia nec videtur) scribere vult gratis, prout antea, omnis Juvenis putans sibi satis esse, si prin-

ci-

cipia Juris modicum delibaverit, novum Ordinem  
 Judicarium de memoria sciverit, pro Statu suo Ci-  
 vili, præcipue qui Academiam, vel Universitatem  
 frequentandi modum habet, aut fiduciam plenam  
 cæteroquin defigit in Cognatis, Agnatis, Affinibus,  
 Parentibusque suis majoribus subselliis admotis. In-  
 de videtur, quod indoctissima, pessimorum Morum  
 succrescat Juventus pro futuris muniis infelicissime  
 Reipublicæ. Virtutum funera, non alimenta quo-  
 tidiana nunc proponit tristissimis oculis experientia,  
 longe alia in Scholis educatio, Methodus eruden-  
 di Juventuti statim danda foret, dein si Juvenis  
 suam in Statu Politico Applicationem destinatam  
 animo habet; præscribendum esset in forma specia-  
 lis, sine qua non, requisiti, ut Triennium unum in  
 condiscenda apud Universitatem, vel Academiam  
 Jurisprudentiæ Theorica, aliud vero Triennium in  
 condiscenda praxi apud unum, vel plures Causidi-  
 cos exantlare tenentur. Qui vero modum non ha-  
 bet, Universitates, vel Academias ingrediendi, ta-  
 lis sex integros Annos apud Advocatos exigere obli-  
 getur. Taliterque acceptis super examine Theoriæ,  
 ac praxi, prævie facto, non secus bonis moribus  
 Testimoniis denuo per Judicium quodpiam his præ-  
 habitis examinetur, et si ultro substiterit, tam pro  
 Judiciario Individuo, quam Advocato (Nobilis cæ-  
 teroquin existendo) citra omnem aliam interessent-  
 iæ, reflexionem inomisse aplicetur. Prout metu  
 pœnarum, ita vicissim, spe præmiorum, et acco-  
 mmodationum, optime gubernatur Respublica.

§. 434. Exigit, ut Juvenis inter Advocatos  
 referri volens, præter Testimonia Universitatis, vel  
 Academiae alicujus, a qua examinatus prævie fuerit,  
 Testimonium scriptum etiam habeat, legitimi alicu-  
 jus Advocati, super datis Speciminibus Jurispruden-  
 tiæ, nec non diligentiae, dexteritatis, et honesta-  
 tis.

tis. Media porro talia facta non sunt, ut Juventus teneatur capere practicam experientiam apud Causidicos, quin imo dispositionibus modernis subiecta sunt. Juventus enim, quæ in nexu Familiæ suæ fudit, viam hanc non sequetur perfectionis suæ, quæ vero in tali spem suam reponere nequit, animis despondens, se vel ruri, vel scribatui penes politica, vel Mechanica salarifato, vel denique otio, aut desperatione Militiæ dedit, et quidem nobilissima crebro vetustissimarum Familiarum Talenta. Ex quibus mirabilia Respublica sentiret Individua. Si circumstantia Juridica, in moderna provisione tantum quatuor Annis adhuc præstiterit, intra decennium Veteranis modernis Advocatis, vel decessuris, vel Agentiam relicturis maxima ex Parte, prout cæteroquin jam factum est, in uno integro Comitatu vix duos, tres Advocatos cum ingenti Boni publici malo erit depræhendere: prout in Statu Ecclesiastico jam videre est, intra breve tempus, quod in defectu celeriorum Juventus pecuniis, amissione stipendiorum Scholarium urgeri jam debeat ad Sacra. Imo Companos, Ludi Magistros pro Capellanis Ecclesiarum in Locis quibusdam applicare cogat necessitas post Annos aliquot, qui legere tantum sciverit, etiam duodecim Locorum futurus Parochus, prout circa finem Seculi prioris in Regno hoc fuisse, tempora testantur.

§. 435. Optimam dat Instructionem Advocato, quid observandum habeat, in suscipiendo Causa Patrocinio: hoc certum est, quod Causidicus ista specialiter tenere debeat, qua primus omnis Negotii Judex, sed præscripta hæc observabit Advocatus a potiori ille, qui ex Nobili Genere oriundus est, ac non extreme Famellicus. Ad dignissimum proinde munus hoc oratorium, ad Normam veteris moris Romanorum valde pauperes admitti nunquam de-

berent, præcipue cum occurrat, et constituatur in pluribus Casibus, Advocatum in multa pecuniaria convinci debere, huncque pro Taxis Judiciariis stare debere.

§. 436. Instruit adhuc, et magis concitat Advocatos, Verbis suis: *imprimis Actionem probe examinet, exceptiones contra eam ex usque exquirat: ad formalitatum excutiendas, proponendasque omnimode exceptiones, quarum certe amplam dat materiam novus iste Ordo Judiciarius; prout primo Capite ad §. 7. et alibi remonstratum est. Honestus, et justus Advocatus, si depræhendat Causantem suum firmam habere Defensam in merito, nec quærit, neque scrutari debet formalitatum exceptiones, harum remoras, etiam si quaspiam reperiatur, sed agreditur illico meritoriam Defensæ suæ Justitiam, ut celerius, et minoribus expensis, prospiciat saluti Causantis sui. Exceptiones tunc saltem arripiuntur per providos Advocatos, dum his uti volunt, pro persuasivo Motivo, ad Transactionem Amicam, vel talibus tempus lucrari, pro disponendis interea ad meritum Causæ servituris fundamentis.*

§. 437. Illa, quæ disponit, cæteroquin in Regni hujus usu, et observacione semper fuere: Sed hoc addendum erat, ut vicissim Advocatus pro directione sui, et Successorum suorum, reversales super Literis acceptis Causanti datas in alio simili per totum exemplari, per contra subscriptionem litigantis munito ad manus suas recipiat, ac penes Documenta conservet, in præcavendas multas nequicias Causantium.

§. 438. Dispositionem hanc veteranus Advocatus cæteroquin observare solet, sed initianti Advocato, nisi prævie exolutus sit in praxi, apud aliquem Causidicorum, nec incident circumstantiæ hæc tempore assumpti Causæ Patrocinii.

§. 439. Hoc unicum Novum, et utile ad præcavendas Litigantium expensas inventum habet, ut Causantibus integrum sit, propria manu constitutionem facere procuratoriam cum data statim una alium etiam Advocatum substituendi facultate. In reliquo alia usus cæteroquin Regni hujus forensis tenebat.

§. 440. Nihil facilius est, quam præcipere. Injungitur hic Advocatis, ut scripturas mundis, ac legalibus Literis in Causis statuatur? Sed! ubi Scribæ tales? ubi modus selectum sibi faciendi Advocatis? in extremo nunc defectu Juventis, seu aptæ ad hoc, seu semet ad Juridica applicare volentis, Causidicus se felicem reputat, si qualemcunque obvium, quem alibi rejiciunt, et accomodare nolunt, pro adjutorio aliquo, et hoc erga solutionem fileralem accipere possit, ut scripturæ pro statis dierum Terminis tantum statui valeant. Lex omnis debet etiam media exhibere, aliis vicissim bonis provisionalibus, ad sui possibile implementum.

§. 441. Excogitata est una summe incomoda pro affligendis tantum Judicibus, præcipue vero Advocatis, primo Rotuli fiendi, dein Inrotulationis in Judicio peragendæ obligatio, dum longa hæc, et sæpe per plures dies durante revera inani Ceremonia occupatur, et Judex, et Advocatus, alia dignioris, majorisque momenti negotia tractanda habens. Cur otiosa hæc operatio, ac nullam prorsus majorem Actorum processualium, quam antea producens securitatem, priorem debuit sustinere Methodum forensis Regni hujus, prout deductum Cap. 23. de Inrotulatione Actorum.

§. 442. Præscribit: ut Advocatus ex gravi Causa, et ob iustas rationes Causantem suum ante finem Litis deferere coactus, clientique suo operam

judicialiter renuncians, a die factæ renuntiationis tamdiu in Judicio adhuc defendere teneatur, quamdiu Terminus pro præstatione responsionis, eidem præfinitus pendebit, et Pars alium Patronum sibi constituerit. Quid si luridus Causans, non solvens Advocatum suum, nec Taxas subministrans (prout frequentissime accidit) turpitudini suæ inhærens, dispositiones respectu præmissarum multas fecerit, ergo vexabitur honestus Advocatus! Vafalus Impositoris ejusmodi erit! pejor Conditio erit bonæ fidei hominis, quam maleverfantis? est hic Justitiæ comutativæ fructus?

§. 443. Disponit, præcipit obligationem, et non reflectit ad id, quod si substitutus Advocatus per alium, et non ipsum Causantem, Litem prosequi noluerit, cum nemo teneatur securitatem ferre pro altero, nisi conductus sit per ipsum causæ principalem, quid in tali casu faciendum cum Processu? ordinandum fuisset directe: ut pro omni eventu qualiumcunque circumstantiarum §. hujus semper litiganti per Judicem res insinuetur statim, cum Termino ratione habitationis illius solitæ. Proportionato, intra quem de novo Causæ Patrono disponere sibi obligetur, sub ferenda juxta allegata, et probata secus sententia, intra quam Cursus Litis interea in suspenso maneat, rationabilis enim casus semper juste considerandus est, ac nemo Juribus suis improvise destitui potest.

§. 444. Quæ prohibentur §. hoc, illa juxta Leges Regni, alioquin velut Collusionem Advocati cum Parte adversa, referentia, strictissime vetita sunt Jure Regni sub pœna Silentii dictanda.

§. 445. Intelligi ita debet, quod Advocato, in Causa semel decisa, seu in Merito, seu formalitate, nihil amplius admitti possit, recoquere,

vel addere pro casu illo, sed quæstionem decisæ rei per appellatam, repræsentationem ad superius Forum, vel novi remedium, semper licitum esse debet, ad separatam ex præhabitis fundamentis remeditationem provocare.

§. 446. Interdicitur sub nullitate, imo pœnæ dictamine Advocatis, peculiare quodpiam, ac determinatum præmium apud Causantes suos sibi in forma pacti constituere. Hinc ergo sequitur, Advocatos, qui necessaria sunt, et summe utilia in Statu Civilis Rcipublicæ Instrumenta, pessimæ Conditionis esse debere omnibus aliis operariis, tam Mechanicæ, quam Artium Liberalium pure dependendum habere ab Arbitrio, ac Liberalitate Clientum suorum, dare aliquid, et quantum volentium, quorum multi sæpe ingrati, luridissimi, et maximi Impositores dantur, Advocatum suum concluso semel negotio, nec aspicientes, nec eidem respondententes, minus solventes. Mancipia igitur sunt Advocati Status comunis, pro Gratia sibi explicare debentes, si quis ipsis labores quo plures, pro volupe solvendos, aut non: ex parte sua injungat: pœnæ in hos adhuc dicantur, pro omni fere circumstantia emergibili. Stare debent pro Taxis Judiciariis, exequendi præcipiuntur Mandato de 23. Novembris 1785. emanato. Si semel assumant Causæ Patrocinium, invigilandum habent serio, ne aliquo tempore quidpiam, ex Parte Causantis sui faciendum negligant. Secus ordinatione alterius Mandati, publicis Ephemeridibus tamquam infames aliqui homines prostituuntur. Pro his tamen omnibus malis, suis fatigiis, curis, præcipue dum Advocati in moderna provisione penes Judicia sicut captivi perpetuo alligati esse debent, assiduo vigilare ad dies, horas Negotiorum, nunquam Juristitio,  
pro-

prout antea gaudere, certum videre nequeant, præmium. Hoc nec justum est, nec salutare medium, valde proficuum Statum hunc Advocatiale[m] conservandi, et pro futuro ferendi. Apud veteres Romanos Lex quidem lata fuit *Cincia* dicta *M. Cincio Tribuno Plebis* Authore, qua cavebatur antiquitus: Ne quis ob Causam orandam, pecuniam, Domum, aut Agrum recipiat, Tacit. L. 11. Sed! ne aliquis inopia Advocatorum, potentiorum agressionibus expositus sit, ne alienis Negotiis intentus quis, omittendo sua, curasque familiares, eloquentiam suam alteri gratis addicat, cumve nihil a quopiam expetatur, nisi cujus fructum ante prævideat. Sublatis studiorum præmiis, etiam studia pereant. Lex præmissa (licet A. U. C. 800. in Senatu renovatio ejus adursa sit) ad effectum tamen venire non potuit, verum juxta Legem Neronis, positus cupiendis illimitate pecuniis modus est: ut Litigatores pro Patrociniis certam, justamque Mercedem præstent. Svetonius Cap. 17. nempe usque ad *Dena Sestertia*. Eandem Summam capere, et Trajanus Imperator indulgit Advocatis, sed duntaxat post Negotia peracta. Plinius L. 5. *Dena Sestertia* idem est: quod *Decem Milia Sestertiorum*, seu centum Aurei, Cursu Nostræ Monetæ. Quam competentiam egressi Advocati *Repetundarum* tenebantur. Admittendum esset, ut Causans libere possit, cum Patrono Litis suæ accordare, etiam si scripto de certa Quotta non objecti processualis, sed præmii pecuniarii, Pacta, Contractus, sunt Juris Gentium, impediri nequeunt. Causans alioquin juxta meritum Causæ, ac Vires Marfupii sui accordabit, et si per unum Advocatum plus æquo desideraretur, ibit cæteroque ad alium, qui minori Summa contentabitur, iste optimus erit etiam medius Terminus, Lites

accelerandi, ut Advocatus citius præmium suum  
 assequatur, si dispositum fuerit, ut mediæ pacta-  
 tæ Summæ cum exordio Causæ quidem præstetur,  
 sed alia non, nisi cum plene Processus conclusione.  
 Præterea: quod si quis Causantium residuam medieta-  
 tem solvere nolle, ideo forte: quod plus iusto relate  
 ad meritum laborem Litis, per Advocatum obli-  
 gari factum sit. Liceat quidem Causidico, Clie-  
 tem suum eatenus impetere ad implementum, sed  
 semper coram illo Judicio, quo Causa ventillaba-  
 tur, et illud tanquam Causæ coram se actæ mo-  
 menta, Statum optime judicare sciens, ad æquam,  
 proportionatamque impensi laboris, temporis fluen-  
 tis Litis, ejusdem Meriti, ac circumstantiarum in-  
 terventarum, Summam reducere possit, pactatam  
 mercedem, si, notandum, excessiva sit, si vero  
 non, talem ultro constabilire, Causantemque in ea-  
 dem convincere teneatur, salva Parti non conten-  
 tæ Appellata. Jure quoque Imperiali, quod fons  
 est omnium Legum aliarum, admissum est ipso fac-  
 to, *L. 1. §. 1. Digest. de variis, et extraordina-  
 riis cognit.* Tam Advocatis, quam Medicis per  
 stipulationem sibi de solutione prospiciendi, quam-  
 primum illud decisum est, sequentibus: *si pariter  
 Advocatus, vel Medicus, qui per stipulationem sibi de  
 Salaris non prospexit, non aliam quidpiam consequendi  
 viam habet, quam si ad Nobile Judicis Officium con-  
 fugiat, qui pro modo facundie, ac impensi laboris qua-  
 litate, Mercedem decernat, necesse est.* Cur ergo  
 istud velut justum, assistentiam generalium, ac pri-  
 mavorum Jurium habens, Lege municipali vitetur,  
 ratio sufficiens non deprehenditur?

§. 47. Labor Advocati quoad scriptum ela-  
 borandum, ac præsentandum promeritæ mercedis  
 suæ, et occupatio Judicii in Materia hac, statim  
 præcavebitur, si Pacta, et Contractus quoad rem

§. præcedentis, libero Cauſantium arbitrio concre-  
dita fuerint. Et non niſi in caſu illo quæſtio ſur-  
get, tractanda, et decidenda, ſi Advocatus vel ſti-  
pulatam non haberet Mercedem, vel illam exceſſi-  
vam. Ubi enim Cauſæ, et Quærela non eſt, non  
eſt opus Judice, non ſunt multiplicandi gratis labo-  
res, tam Advocatorum, quam Judicum.

§. 448. 449. et 450. Obſervari poteſt pro ca-  
ſu directionis adjudicandarum expenſarum contra  
Partem ſucumbentem in ſententia ſpecificæ, ut Ju-  
dex depromat quidem honorarium Advocati Partis  
triumphantis, in Calculo expenſarum, interim Cau-  
ſantem relinquat juxta Pacta conventa, Patroni ſui  
contentationem libere facere, niſi ipſe eatenus, vel  
Advocatus ſuus rem ad Judicium deducat.

§. 451. Juſtum habet, ſed cum pœnam ſta-  
tuat etiam hic contra Advocatum, recte ideo ex  
ratione Juſtitiaæ reciprocaæ non ſunt impedienda cer-  
ta præmia, et merces pro laboribus ſuis Advoca-  
to per §. 446.

§. 452. Æque juſtum diſponit, ſed tam in hoc,  
quam præcedente §. de regula naturalis æquitatis  
ſtatuendum fuiſſet, ut Advocatus talis non tantum  
ad ſimplicem dilationem ſui, pœnam ſubeat, ſed  
prævie, ac legitime in forma probante eatenus con-  
victus.

## CAPUT XXXIX.

### De Judice.

§. 453. Exigit in tali, qui Munus Judicis ſibi  
conferri poſtulaverit, ut conſuetis atteſtationibus  
doceat, ſemet ſufficientem Jurisſcientiam in Uni-  
verſitate, vel Academia Provinciaæ alicujus hæredi-  
tariæ comparaviſſe, quaſi jam hoc ad Judicis qua-  
li-

litatem sufficeret? et ubi est scientia practica, quæ non nisi ex usu, experientia, penes Tribunalia versante hauritur. Ubi probitas Morum? quæ in Judicis persona specialiter requiritur? Ubi mentis Judicium, quod summe necessarium est, ad qualitatem unius Judicis, quod non nisi exercitio casuum, atque venit, quod denique velut medium optimum, casum propositum cognoscere, discernere, ad Legem applicare, juste decernere facit. Ardua res est. Multas proprietates exigens Judicis functio! non cujuslibet hominis, et tantum scientiam Juris theoreticam collectam habentis, est affectare, ut Judicis Officium ambiat, quam nec tempus, nec conditio mutat, nec potentia mutilat, nec rumpit necessitas, nec insolentia exulcerat, nec malorum defatigat improbitas. Qui erecto, et infracto est animo, Jurisscientia praxi firmata, facundia, et sapientia præditus est. Talis enim merito Legum Aræ, et Justitiæ Minister dici potest. Nunquam magis floret quies, societatis humanæ Commercium, Justitiæ administratio, in Statu Reipublicæ, quam si boni Judices Tribunalibus admoveantur, ut per illos Jura loqui, Justitia Ministerium suum secure exercere valeant. Illi optimi sunt pro munio Judicario (prout concludit §. præsens) qui publica, et iterata specimina suæ capacitatis, atque Regni Legum peritiæ, non secus (quod addendum fuisset) probitatis jam dederunt. Hæc sunt optima testimonia requisitarum pro persona Judiciaria qualitatum. Universitates, Academiæ, quamvis optimæ regulatæ sint, tanto magis si miseram eruditionem, luridam educationem Juventuti præsent, non producent subjecta, sed tantum parant pro Judicibus. Agendi facultas, dicendi consuetudo, in Foro, Judiciis, Legibus, polita ratio, et exercitatio, creat bonos Judices. Denique requisitum inter alia maxime spec-

spectandum esse deberet, juxta prudentem, providamque Legem Hungariæ adhuc ab Antiquo Romanorum, juxta et Græcorum Regimine depromptam, ut Judex possessionatus sit; talis namque raro sordidi, interessati animi esse solet, puriores semper hujus manus sunt a muneribus. Athenis in Senatum Areopagitarum neminem admitti fas erat. *Nisi et honesto loco natum, et vitæ modestia spectatum, et facultatibus valentem.*

§. 454. Examen feverum præscribit subeundum illis præterea, qui ad munus Judicis adspiraverint. Nec istud sufficit, etiam si quam rigidum sit, ad creandum bonum Judicem, prout prævie dictum. Dein Judex Judicem pro munere hoc adspirantem nunquam examinare deberet multis ex rationibus — Sed Advocati Judicem, Judices Advocatum.

§. 455. Tales super quorum Bonis concursus apertus est, impedit a munere Judiciario obtinendo, amovet simul ab obtento. Ratio alia hujus esse non potest, quam quod talis velut depauperandus hac forma sit intareffatus futurus, et officio abufurus, si illa hic latet reflexio condigna! ergo neque pauperes, impoessionatique homines deberent ad munera Judicialia vel admitti, prout et debitis onerati, cum æqualis subverfetur ratio, idem finis præmetui valeat. Qui porro Judiciali authoritate in rebus officii sui abutuntur (quos pro prodigis judiciali authoritate hic §. declarat) illi omni Jure amoveri merentur, neque digni sunt, ut talibus ultro munus quodpiam conferatur, ille enim principaliter ineptus est, pro geranda competente sibi Jurisdictione.

§. 456. Rectum habet, talis namque Judex, qui probam non ducit ipse vitam, nec exemplo bono præibit, nec improbos Actus, juste, et disinteressate judicabit.

§. 457. et 458. Vetant Judicibus alio proventu muneris Causa gaudere, quam Salario sibi constituto, sumptibus vecturæ, ac Victus, nec non ubi mos erit, Diurnis, consequenter ab omnibus Donis accipiendis abstinendum præcipiunt. Ut dispositio hæc scopum suum realem assequi possit, ac in violatione hujus rigida facti ratio exigi queat, ad Normam Regis Cambyfis, qui Sisannem Persicum Judicem ideo morte mulctari iussit, interemptique pelle detracta Tribunal tenuit, in quo ille sederat, dum Filium ejus Otta-nem ibidem sedere Judicem voluit, adinonitum: ut nunquam Paternæ culpæ, ac pœnæ oblivisceretur. Debuisset prævic, ac provide ordinari, *primo*: ut pro muneribus Judiciariis, ut actum est superius, ad Normam Atheniensium, et præscriptum Legis Regni hujus, bonarum Nobilium Familiarum homines pure aplicentur, velut distillatum jam ab omnibus fecibus sanquinem habentes. 2) Ut sint possessionati, consequenter non indigui, non famelici, sed genorosi animi, qui potius succurrerent experientia Teste miseriori Causanti, quam ab eo quidpiam extorqueant. *Tertio*: Quod maximum, ut honestis Salariis provideantur, non prout Affectores subalternorum Judiciorum Florenis 300. Affectores Tabularum Districtualium fl. 1200. Affectores Regiæ fl. 2000. tantum provideantur, Salaria hæc si considerentur Chara Victualium, materialium omnium, hospitiorum in Civitatibus præcia, detractæ sub diversis Titulis Salariorum, pro nocumento potius sunt Judicum, pro ruina Status ipsorum (cum vix necessitates medii Anni provideant) quam emolumento, cogant ad extremum peccare contra observandam recti Judicis qualitatem, præcipue per tales, qui privativæ substantiæ adjutorio destituuntur, illi enim

enim vel debent subinde onera contrahere gravia, vel muneribus suis contra Justitiam, et præscriptam obligationem uti. Mirabilis est in Gente Hungara virtus, animique constitutio, quod propter exigua hæc Salaria, tamen in præsens, non accidant impii ejusmodi casus contra Justitiæ administrationem, quales accidere in aliis Provinciis, specialiter in Tribunali Pragensi decenti, quamvis omnes aliarum Provinciarum hæreditariarum Judices multo majoribus, quam Hungarici gaudeant Officiorum suorum Saliariis, nunc porro inventus est adhuc talis Judicum Hungaricorum Patronus, qui alto Loco projectavit, nunc tempore Belli Turcici omnes Judices ad medium pure Salarium restringendos, statuens: possessionatum cæteroquin propter honorem serviturum, cum medietate Salarium, nihil vero habentem ex necessitate munus retenturum. Quoad primum transeat, relate ad secundam sortem Judicum, non reflexit ad paupertatem. Tanto majorem Meretricem futuram, generandas per hoc rationes, fædissimarum interessentiarum. Officio pessime utendi. Quæ summa in Statu Reipublicæ mala, omni potius Conatu præfocanda, cum per solam Justitiam Reges regnent, ac Regna subsistant. Oblitus est illius facile emergere valentis eventus: quid si nullus bonus, nullusque aptus, erga medium Salarium fervire voluerit? quanta confusio! quam ingens strages Causantium, et Justitiæ futuræ.

§. 459. Præscribit: *quatenus Judices secundum verum, et comunem sensum verborum hujus Ordinis Judicarii procedant, neque iis unquam permissum esto, sub colore differentie inter verba, ac sensum Legis, æquitatis, a rigore Legum diversæ vel contrariæ consuetudinis, aut sub quocunque demum alio prætextu ab expressa præscriptione hujus constitutionis recedere. Jam!*

ex præcedentibus paragraphatim factis observationibus, decidat omnis æquus Jurista: num vel verus, vel comunis sensus in constitutione hac deprehendatur? num vel justa rationabilis pro Statu Regni hujus isthic consistat ordinatio? quam sequi svadeat: Justitia, utilitas, securitas Causantium, rejectis multo melioribus in conplurimis circumstantiis Legum municipalium præscriptis. Statuitur pro fine: *quod si Judex Litem contra ordinem hic inductum protraxerit, vel Partibus gravi sua culpa gravamen intulerit: de omni damno teneatur.* Apparet interim ex præviis: quod ipse Ordo Judiciarius Negotiorum processualium in quam plurimis, remoram gravem generaverit, et quæstio semper justa subversari possit, num constitutio hæc, vel Judex talem observans, majoris culpæ sit, in gravamine Partibus inferendo? Cæterum. Quomodo hoc cohæret? Judex ut de omni damno teneatur? Et quid si impoessionatus, nihil præter Salarium habens, sit, (prout a potiori nunc videtur) unde, et qualiter damna recompensabuntur? denique totus fere Ordo Judiciarius continet in se ambiguam, improvidam, minime securam, nocivam, tardioris, quam antea in quamplurimis Justitiæ administrationis, Legislationem. Nam prout demonstratum est.

Major Ansa, plurium exceptionum, quas multæ observationes externarum formalitatum generant, data; unde qui non habet Justitiam, vigilat tantum, num Pars adversa observet, in omni puncto formalitates Ordinis Judiciarii, et taliter ex Ceremoniis duntaxat præscriptis, studet comprimere Partem adversam.

Justitiæ administratio facta est pure materialis, Opificia circa hanc, non Officia! ex copia inanum scripturarum, Ceremoniarum superficialium,

lium consistit promotio hujus, quæ tam excludunt simpliciter laborem meriti realem, quam Physicum tempus diminuunt. Advocati, Causantes pluribus irretiti negotii, Cancellarias integras tenere coguntur. Summus autem defectus Juventutis est, unde Typis jam mandare Acta processualia surrexit necessitas. Ingens hic Causantium et remora, et agravium.

In ultimis Scripturis occasio magna fallendi Actores per Reos Conventos.

Per totum Cause Cursum Judex nihil videt, nihil scit, quid agatur, a tempore porrecti Libelli usque quoad Inrotulationem non veniat. Apud Partes solas res tota, et continuo vertitur. Quod promotioni, adæquatæ Cognitioni, Justitiæ, imo ipsi Officio Judiciario prorsus inhærens est.

Constitutio Novi Ordinis Judiciarii eam habet perfectionem, quod tunc saltem adhuc Legem condendam promittat, ac exigat, postquam casus jam emergit, teste practica Experientia. Non autem, ut casum jam præoccupet, ac decidat pro directione Judicis.

Affiduis novis decisionibus supleri debet, ita ut Mandata in Judicialibus per biennium tantum jam superent Numerum §. Ord. Jud. continuis interrogationibus jam Causantium, jam Judicum, scopus ipsius, et intellectus assequi, perpetuis Visitationibus sumptuosis, doctrina ejusdem practica, evangelizari debet. Tum Judex instruitur, dum jam Instructissimo pro Tribunali sedendum esset. Imo post peractas Visitationes Juridicas complura subalterna Comitatus pejus adhuc obire Negotia, quam antea depræhensum est; Num hæc Norma sit Debiti Juris? pro salute, Causantium, securitate, ac perfectò Statu administrandæ Justitiæ cujusvis substernitur Judiciò!

# P A R S 4<sup>ta</sup>.

Ante Introductionem, et sub ipso Progressu Novi Ordinis Judiciarii intervenerunt sequentia B. Decreta, Quibus injungitur, in Manipulatione quoque Juridicorum, *Supressa Lingua Latina*, usus Idiomatis Germanici velut *Monarchiæ proprii*.

*Primum fuit sequens :*

Josephus II. Spectabiles, ac Magnifici, nec non Egregii Fideles Nobis dilecti. *Suppresso Jussione Nostra in certis Terminis ad id defixis apud Universas Regni, Partiumque adnexarum Jurisdictiones relate ad cuncta dicasterialiter, aut in Publico pertractari solita Negotia Lingue Latinae non, cum hujus Loco Germanicum velut ipsius Monarchiæ Idioma introduci, usumque illius in ipsis etiam Foris Juridicis, ubivis locorum fieri velimus, prouti ex circulariter per Universum Regnum fusius publicanda hanc ordinatione Nostra notum erit. Hinc clementer constituimus, ut post emensum triennii Curriculum (qui tamen Terminus, ut pro ratione circumstantiarum, Nobis suo tempore repræsentandarum prorogetur; alieni non erimus) Universa Juridica Regni, Partiumque adnexarum Dicasteria, Fora item subalterna cunctas Causas coram iisdem, aut in Via primæ Instantiæ, aut Revisionis Causa promotas, non nisi Germanico Idiomate pertractare, ac ipsi etiam Advocati in hoc suas Judicio Allegationes exhibere debeant.*

Quare Vobis duximus benigne comittendum, ut intra constitutum Triennii Terminum, ad reddenda in Casibus coram Vobis decurrentibus, Germanico Idiomate Jura, Vosmet comparatos tenere, atque expirante hoc Termine, cunctos Processus nonnisi eodem Idiomate pretractare, sententiasque in eo ferre, una Advocatos Causarum coram Vobis promotarum, ad Allegationes nonnisi eodem Idio-

mate Germanico Juri exhibendas stringere, interea vero demandatam relationem Nobis præstare noveritis. *Legibus Regni in Latino Sermonem relictis*, cum alioquin Advocatos, et Judices Linguae Latinae, quæ per Partem altiorum Studiorum constituit, gnaros esse oporteat. In reliquo Vobis Gratia &c. Viennæ 6. Maji 1784. *Josephus m. p. Carolus Palfy m. p. Alexander Pafsky m. p.*

*Secundum erat Sensus hujus:*

Sacræ &c. Visum est suæ Majestati Sacratissimæ pro inducendo ad Fora quoque Judicialia Linguae Germanicæ Ufu, præscriptum diei 1. Novembris Anni currentis quo prius benigne defixum Triennium evolutum est, Terminum adhuc ad unum Annum clementer prorogare. Una vero benigne admittere, ut tam Judices, quam Advocati illi, qui Linguae Germanicæ gnari minus essent, neque per decursum quatuor horum Annorum Notitiam illius sibi comparassent, privatorum, quos propriis sumptibus assumunt, quive sufficienti numero reperiri poterunt, translatorum opera uti valebunt, quod ipsum inire justitiam eo magis locum habere poterit, cum in elegantia styli situm non sit, adeoque hujusmodi Translator unice Juramento taciturnitatis adstringi debeat. Cæteroque majoris securitatis causa. Cuius integritas erit, Latinum suum Conceptum Germanicæ Translationi adnectere, per quod omne dubium relate ad obscuritatem sensus, ac expressionis emergeret, superabitur.

Quam B. Resolutionem eidem Tabulæ Districtuali finem in eum hisce de Benigna mente Regia notam reddi, ut illam Gremialibus etiam Advocatis suis publicam reddere. Post effluxum autem præstituti Terminum eidem semet accurate conformare noverit. Datum Budæ die 19. Decembris 1787.

*Comes Antonius Jankovics m. p. Gabriel Pécsy m. p.  
Adamus Skerlecz m. p.*

*Tertium erat Tenoris hujus :*

*Sacræ Cæsareæ, et Regio Apostolicæ Majestatis  
Domini Domini Clementissimi Nomine Districtus Partium  
Regni Hungariæ Cis - Danubianæ Tabulæ Judi-  
ciariæ, hisce benigne intimandum, cum ad procuran-  
dum effectum Altissimæ Resolutionis Regiæ circa  
omnium Juridicorum Negotiorum apud Fora Judi-  
ciaria cum 1. Novembris Anni 1790. Lingua Ger-  
manica pertractationem editæ, et cunctis Foris Judi-  
ciariis ad hinc intimatæ, illud quoque necessarium  
sit, ut Advocati etiam in Regno hocce constituti  
in Statu sint, Scripta sua Tribunalibus exhibenda  
Idiomate Germanico concinandi, plurimi autem Ad-  
vocatorum (prout refertur) ad hoc præstandum in-  
capaces sint, ea propter ac introductioni Linguae  
Germanicæ usque præattactum peremptorium Ter-  
minum ulterior obex reperiatur, visum est Suae  
Majestati Sacratissimæ sequentia benigne ordinare;  
ut nempe Advocatis apud diversa Fora Judiciaria  
constitutis significetur, quatenus cum fine Mensis  
Septembris Anni modo labentis singulus Linguae Ger-  
manicæ nondum peritus Advocatus apud concernen-  
tem Tabulam Districtualem, ac respective Forum  
Appellationis remonstrare teneatur se in Cancellaria  
sua Individuum Linguae Germanicæ adæquate gna-  
rum assumpsisse, pro horum itaque exquisitione ii-  
dem Advocati illico necessaria disponere, memora-  
tum vero Appellationis Forum, ac respective Ta-  
bula Districtualis eatenus curatam Investigationem  
peragere, Idoneitatemque constituti Individui pro-  
bare debent, sicut etiam jam constitutus Advocatus,  
qui cum 1. Novembris 1790. conceptus momento-  
sus ipsemet Linguae Germanicæ aponendi capax non  
erit,*

erit, aut Individuum aliquod Linquæ Germanicæ gnarum sine hoc in Cancellaria sua non habuerit, absque ulteriori, et sine reflexione aliorum ipsius meritorum a Stallo advocandi dimitti debet, e contra amodo imposterum, prout jam antea altissimo Loco ordinatum habetur, nullum aliud Individuum pro Advocato assumendum esse, quam quod penes alias requisitas qualitates se Linquam quoque Germanicam possidere plene legitimare potuerit, pro majori autem securitate quod Genuinæ Expressiones in Germanico adhibitæ fuerint, et ut seniores etiam Advocati in suo Officio permanere valeant, Clementer indulgeri, ut meritoria Allegata, columnaliter in una videlicet Parte Germanica, in altera vero Latina Linqua apponantur.

Quam altissimam Resolutionem Regiam Tabulæ huic Judiciariæ, et cum Mandato hocce intimari, ut hanc Gremialibus suis Advocatis pro necessaria coram Directione illico notum reddere, ac impositæ sibi quoad peragendam Investigationem, constitutorumque Individuorum Idoneitatis probam obligationi curate satisfacere noverit. Datum in Libera Regiaque, ac Metropolitana Civitate Budensi die 22. Mensis Julii Anno Domini 1789. Comes Antonius Jankovics m. p. Ad Benignum Sacræ Cæsareæ, et Regio Apostolicæ Majestatis Mandatum.

Num perfectus recte, debiteque administrandæ Justitiæ sperari ex præviis dispositionibus possit? an res sit Gentis Usui, Indoli, Juribus consentanea, et vel practicabilis? sequentes in obversum discutendæ veniunt, ex visceribus ipsis depromptæ observationes.

Ut debitæ Justitiæ administratio in Foris Regni hujus Idiomate Germanico progressum habere queat. Debuisset prius jam existere Univerſa ætatum præcedentium, Populi Hungarici *Privilegia*,

*Fassiones, Statutiones, Obligationes, Contractus*, aliasque omnia Familiarum Acta Germanice. Quæ alias univèrsa sunt vel Latina, vel Hungarica, vel Croatica, Illyrica, Valachica, Slavonica. Quis porro hæc ita genuinè transponat, ut sensum eorundem perfectè assequatur, dum nec Latinus omnis datur ille, qui vel Latine antiquitus deducta, propter Styli vetustatem, præcipue sub temporibus Regum: *Steph. 2. Geysæ 2. Bele 3. Caroli 1. Lud. 1. Sigismundi, Mathiæ, Ludovici 2.* Nisi temporum illorum Historiam, et Usus vocabulorum perspectam habeat. Ubi tot centeni Translatores reperiantur, pro tantis Judicibus, et Advocatis. Unde solventur per Judices superiorum Fororum? Quando ipsis solis admensa Salaria non sufficerent, nisi privatam quivis ex re domestica, auxiliatricemque habeat subsistentiam. Quomodo hoc onus ingredi potest Judicii subalterni Assessor? qui ex Salario fl. 300. dietim nec Den. 75 destinatos habet, qualiter ad id Advocatus cogi potest? qui nullum ex publico quopiam ærario recipit Salarium, nullum fixum Status sui habet proventum, verum subsistit in Hungaria *ex Ordine tantum Providentiæ*. Ubi tales Translatores Germani depræhenduntur? qui pro occurrentia diversorum Actorum adæquate calleant *Latinam, Hungaricam, Croaticam, Rascianam, Illyricam, Valachicam, et Slavonicam*, præterea Jura Hungariæ, ac Regni Historiam possideant. Denique Gothicam Scripturam legere, combinare norint. Qui porro notitiam horum prius non habet, nunquam in statu erit, transponendi Documenta Populi Hungariæ, præcipue in *Causis Antiquorum Pignorum, Vetustarum Successionum movendarum ex Radice Juris Causarum Subversantia*, ad veram significationem, in qua res tota administrandæ Justitiæ consistit, salus unius, vel alterius

terius Partis, Vitæ, aut Bonorum subversatur. Ideo in Criminalibus observare solet Regnum hoc. Ut meritum Causarum ejusmodi quippe *benevolum examen*, *Confrontatio*, *Inquisitio* tractetur semper Idiome, *Reo* et *Testibus* noto, ne per hoc occasio sit, a tramite Justitiæ deviandi.

Discrepantia Lingularum, quemadmodum distinctum edit tonum, ita diversam inducit interpretationem, hinc cum verba solum Legis, aut Documenti, verum genuinus intellectus attendi debeat, qualiter in Justitiæ administratione, vel sperari potest. Ut intellectus Legis, aut Documenti Latini, aut alterius Lingvæ per Idioma Germanicum, ad Facta, et Casus Juris debite aplicari, justa dein Judicia dictari valeant! Cum experientia doceat, quoad libros tantum unius Idiomatis in aliud translationem semper vacillare, quod in puncto Justitiæ (quæ velut Sol perspicua esse debet) procul abesse debet.

Confusio hæc Translationis versabitur primum apud Advocatum Causæ, occurret dein ex disputatione Partium apud Judicium. Lis erit de verbis. Sensu Transpositionis. Reale autem meritum Justitiæ adhærebit. Quæ cæteroquin lamentis Causantium sufficienter jam morari depræhenditur, per plura, quam antea, invecsta novi Ordinis Judicarii impedimenta.

Per incomodam alioquin modernæ proceduræ Normam. Confernati Regnicolarum animi, jam a promotionibus injuriarum suarum, ita sunt alienati, tantam erga Methodum hanc conceperunt diffidentiam, ut alii malint quævis in Bonis, et Personis damna tolerare, ac justis potius Juribus carere, quam forma hac medelam querere. Alii vero, qui per citationem sui, inviti Lites ingredi coguntur. Causas suas per veteranos duntaxat Advocatos, qui  
lon-

longiori ætate, efficacia Jurisprudentiæ dederunt specimina, quos non solum N. O. Jud., sed ipsas Regni Leges fundamentaliter penetrare. Judicio, et Consilio agendi pollere, perspectum habent, manipulare velint. Illi autem, qui per elapsum Triennium, aut Quadriennium ex Novo Ordine Judiciali juxta præscriptam Censuram ad Stallum agendi emergere possent (quorum quidem vix aliquis deprehenditur) valde parum, aut nihil, in Partium Litigantium prosperitatem, celerioremq; Justitiæ administrationem conferunt, veterani vero Causidici adeo Processibus specialiter horum externis Ceremoniis obruuntur. Ut his celerius promovendis, aut pluribus assumendis haud sufficiendo, ipsi Causantes jam gravem Justitiæ remoram tollere necessitentur.

Quod si vero Negotia Juridica Germanico præterea Idiomate tractari deberent, Libellis Actionalibus, et aliis Scripturis taliter concinandis, præter ingentem secuturum Advocatorum decessum, Quanta novorum laborum, inanium scripturarum generabitur accumulatio. Dum quævis scriptura ratione duntaxat unius citandæ Personæ, jam nunc in duobus exemplaribus, dein propter duplex Idiomata ternis vicibus describi debet. Chartæ defectus, et altum prætium jam nunc est. Quid ultro expectandum! quæ Partibus Advocatis incomoda! expensarum gravium profusiones! ubi secus forma promovenda Justitiæ, ac Judiciorum, in Populi felicitatem illa est. Si per Processum brevem, ac minime sumptuosum, quivis Jure suo potiri valeat.

Plurimis Advocatis partim munera diversa asumentibus, aliis Agentiæ, propter difficultates novi Ordinis Judicialii, magnumque hujus Opificium simpliciter renunciantibus, penuria jam notabilis pro-

motorum *Justitiæ* depræhenditur. Quid ultro præstolandum! nunc ingenti scripturificarum rerum oneri, pares Scribæ reperiri nequeunt, propter magnum *Juventutis* defectum, vel *Salaria* effectiva per diversos *Dicafteriorum* recessus quærentis, vel in provisione modernæ *Regni* constitutionis, accomodatione sui prorsus non speratæ. Marti, ruri potius, aut otio domestico deditæ. Acta, *Causantes* ingentibus sumptibus per Scribas, jam *Patres Familias*, *Typum*, sibi adpromptari curare necessitantur, dum una sæpe res etiam quinquagesies, et ultra parianda occurrit. Quantas adversitates hos una cum *Advocatis* experiri oportebit, si præterea in *Germanicum*, et toties transponi debuerit, distinctis pro hoc aplicandis mercenariis cogentur homines, vel misere tollere injurias, cum lamentis, vel via facti potius, *Jura*, *Læsionesque* suas indicare. Hinc *Cedes*, inquietusque *Reipublicæ* Status nascetur. *Carceres*, suplicia non sufficient, *Fora* *Justitiæ* vindicatorum nova, et plura erigi debent. *Quamvis* successive *Juvenes* aliqui pro novo *Juris* Sistemate nunc instituendi, ad *Stallum* agendi admissi fuerint, sperari nequit, ut *Regnicolæ* nullam prorsus ad similes fiduciam habituri, *Causas* suas periculosa horum assistentiæ committant. Nemo autem *Causantem* urgere potest, quatenus tali, in quo nullam fiduciam collocat, *Causam* suam (in qua vicissim salutem *Personæ*, aut *Bonorum* sitam habet) concedat, quemadmodum *Æger*, ut similem *Medicum* pro cura valetudinis suæ aplicet.

*Advocatorum* *Hungariæ* Status, ut simpliciter per hoc cesset, aut extreme diminuatur, oportet. Si autem hi non fuerint, quid agendum habebunt *Judicia*! possunt *Fores* *Tribunalium* libere claudi, hoc dudum fieri potuisset. Cur ergo creata *Judicia*! *Leges* conditæ majori adhuc, quam antea *Nu-*  
me-

mero. Populus manere quivisset sub Regula duntaxat Naturæ. Quæ alioquin Genus humanum omni declinat aspectu. Movente indifferentismo, prælucentibus ad id jam dudum *Lucretio, Voltaire, Montesquien*. Si porro ex moderno parco Numero Causidicorum forte una vigesimalitas ex superficiali quopiam Germanismi notitia remanserit, vel ideo, quod secus forte modum vivendi non sit habitura, erit ne Numerus hic sufficiens pro agendis compluribus millibus casuum, quotidie emergentium? præter illos, qui jam ad Tapetem Judiciarium deduci habentur, satisfacient ne isti debite, ac honeste Causantium desiderio? præstarent ne Judiciis requisitam occupationem. In Austria facile tractari potest res Justitiæ Germanice. Quia Sermo est cum Lacte Materno haustus. Leges Idiomate Teutonico habentur, omnia simili tractantur, ad scripta cæteroquin deducuntur, quia vix alia Linqua vel nota est Austriacis, quia denique viles a potiori Materiæ *Liquidum debiti; Ex Contractibus, personalibus Injuriis, Recentis Successionis, Mobilium Divisionis, Tigni vel Trabis in parietem vicini, extendendorum, vel non admittendorum*; et reliqua similia: exigui admodum, seu rei, seu quæstionis Meriti, versantur. Aliud porro in Hungaria est, ubi gravissima, vetustissima, complurimum Seculorum substrata, velut ex visceribus Terræ eruderanda, manipulantur. Aliud inquam est, postquam Leges, radicalia Documenta omnia sunt, in Regno hoc Latina. Postquam Populo Hungariæ complures, ac septem Ordinis fere Linquas Nationales loquente, Latina communis est, et ideo pro *Sacrorum, Juridicorum, et Politicorum* Usu, a prima Origine Provinciæ defixa. Ideo etiam dicitur: *Hungarus Scientia Latinus*.

Si hoc forte Hungariæ imputatur, quod non nativa Lingua, sed doctrinali Latina procedat in Judiciis. Præscribenda ergo esset Manipulatio Juridicorum Nationalistica, singuli Causantis ad intellectum. Atqui hæc est vel Hungarica, Croatica, vel Slavonica comunis, ac originalis, sermonem Germanicum pro Nativo, et ad tractanda Negotia sua idoneo, Hungaria nunquam recognoscere potest.

In re omnium comuni, semper ab Orbe condito, singulus Regiminis Status, rationem publici, principali habebat in objecto, dicente quoque Cicerone: *Salus Reipublicæ suprema Lex esto!* in circumstantia vero inducendi Germanismi recte illa postponeretur: Qui etiam forte ingrati Hungariæ Cives idem svaserunt, aut premunt, illi non boni comunis, non prompte, clare, non debite administrandæ Justitiæ, sed privatæ Interestitiæ fovent in pectore rationem. Volunt enim pure Germanismo emergere, Eruditione non valentes. Volunt iniqua Jura sua possessionaria subducere ictui realis, ac Latinæ Justitiæ, quod prodit ex intentis ipsorum a longe petitis, patet hoc ex consequentiis. Consilia namque rerum optime metiuntur ab eventibus.

Sequetur aliud malum: potentiorum Regnicolarum fors per hoc prosperabitur. Injurias enim facient Debitoribus, nulli Jus suum tribuent, præsidium habituri in eo: quod Germanicæ Lingux Advocatum Translatorem potentia sua sint nacturi citius, ac certius, quam alter tenuioris Conditionis, vel in Statu Orphanali, Viduali, constituta Persona. Securitatem manutenendorum alienorum Jurium, et Bonorum, jam hæc ipsa iisdem statuet dispositio, cum magnis cæteroquin irretita sit ratio processualis, novi Ordinis Judiciarii dif-

ficulatibus, per invehendum autem Germanismum, ad Fora, desperandum profus sit, vel de occipiendo vindicandæ Justitiæ Exordio, minus Scopō assequendo.

Qui melius loqui, disputare Germanice sciverit, ad confusionem, aut non intellectum alterius. Ille quamvis iniquum forte promoturus, triumphum reportabit, in cupidine habendi, et res suas omnimode tuendi, humanæ Indolis, non aliud præstolandum, quam ut potentiores Litigantes, observando, quis Judicum fortior sit in Germanismo, illum sibi diversis titulis obligationum devinciant. Hic ad obtinendum scopum Litigantis, contrarium, et juste sentientem suum Cojudicem, eousque Germanismo urgebit, donec Voto suo, importuno multiloquio tandem cedere non cogatur, vapulatura semper miserabili Justitia.

Si Litigans nec Germanice sciverit, nec Translatorem Germanum, neque Advocatum talem reperire potuerit, et qua Actor Libellum suum, R. C. Responsum suam. Evictor Defensam sui evincendi, Latina Scriptura exhibere necessitatus fuerit? rejicietur ne Scriptum tale! Actor amovebitur a Jure quæsito, Reus in postulato Actoreo, Evictor in Onere Evictionis vincetur! pure ideo, quia rem suam non scit agere Germanice. Vel si propter Negligentiam, Defectum, aut Absentiam Versoris, Scripturam processualem, Partium aliqua Lite destina pro die statuto per decretationem N. O. Judiciarii exhibere non potuerit? velut amplius non audienda, inrotulationem pati cogatur? Causa cadet? erit ne hoc æquum! Incessantes Recursus, Lamenta sequentur Causantium, vel ergo præscripta in Ordine Judiciario, quoad Terminos exhibendarum Scripturarum simpliciter stare nequibunt (velut semper ab eventu Versio-

nis Germanicæ indeterminate metiendos) vel priora sequi debebunt, Parte succumbente ex incidenti hoc cum acerbissima sui exenteratione iteratam novi viam ingredi necessitata. §. 17. *Ord. Jud. præscribit: ut Partes in Judicio Litigantes, ac earundem Patroni in Actibus Cause Idiomate consuetudo utantur.* Consuetum in Foris Hungariæ Idioma semper fuit, et est in præsens Latinum. Quomodo igitur Lex cum Decreto hoc cohæret? quid horum observandum? quod validius est; Verbalis Processus admittitur noto Causantibus Idiomate, cur recte scriptus, ignoto Germanismo ventilari debeat? Contingere potest casus facile: ut Translator Germanicus, Judicem, Advocatum, ex ratione quapiam in medio laborum, pro certa die, vel Sessione statuendorum, deferat. Quæ Confusio, qualis Justitiæ administrationis remora. Quis patietur! Exitium per novam hanc rerum formam sequetur Eruditioni Juristarum Hungariæ, legali Justitiæ, funus virtutum disponitur, amittetur nunc vicissim maxima Pars eruditorum, iustorum, summi Consilii Judicium et Advocatorum, cum Universali Regnicolarum, multarumque Meritis conspicuarum Personarum nocumento, nullo demerito provocato. Quæ ob ætatem jam graviorem Linguam Germanicam sibi propriam facere nequeunt (quod ipsis nullo Jure imputari potest) in Statu Reipublicæ, propriis Sedibus, mortem Civilem obire cogentur. Ingenua enim cujusvis Indoles non admittet. Ut quis Judicium discrimen §. 459. N. O. Jud. Advocatorum vero periculum §. 435. 449. 451. Subeat salutis naufragium patiaturs apud illum, qui Justitias judicare venturus est, ideo pure, quod ex nonperfecta Germanismi notitia Mensuram muneris sui haud impleverit. Felicissimi porro Regiminis cura fuit illa maxima apud  
Gen-

Gentiles etiam, ut ruditas præcaveatur. Eruditio provehatur, omnia Juititiæ tollantur impedimenta, et per hoc Deos sibi facient propitios.

Nihil gemendum magis, non facile reparabile aliquando malum esset in Christianis Ditionibus, quam si Latina Linqua, Mater Scientiarum omnium subinde periret, *per supressionem hanc in Decreto primo prepositam*, qua omnes Nobilissimæ Orbis res: *Præcepta Decalogi, Sacrum Evangelium Fons omnium Jurium, Codex Theodorianus, et Justinianus, Jus Canonicum, Historia Ecclesiastica, Jus Naturæ, Gentium, Philosophia Originalis, Ars prima Medicinæ, Romani, Græci Imperii Historia, Pacificationes Europæ fundamentales*, primum Ortum acceperunt, Latina Linqua exulet in Regno Hungariæ Latino, Sede Ecclesiæ Latinæ. In Romano Imperio Romanum Idioma.

Prout Hungarus, et Croata in Numero Linguarum superat Gentes Vicinas, ita præcellentiam quoque Artium omnium liberalium affecutus fuisset procul dubio, si continuus Bellorum exterorum, et internorum furor, Musas non turbasset, Tempore quo Hungarus, et Croata se, cæterasque Christianas Europæ Gentes tueri debebat, qua occasione vel Militem tantum, vel Juristam agere cogebatur, dum pacis tempore Hungaria incumbere posset doctæ Minervæ, subito impediretur per injunctam Germanismi condiscipulam.

Rerum omnium penuria imo fame, paupertate jam atteritur Gens Hungara, non aliud ipsi deest ad pereundum, quam ut adhuc per Germanismum inducendum ultima mollities, et ruditas invehatur, cum in molli, rudique Populo nulla resideat vivacitas, non generosus pro se, vicinisque suis præliandi Animus. Nullum punctum honoris. Non ingenua fides, verum Sclavitas, ac Sordities mercenaria.

Transpositiones Librorum in Linguam Germanicam sincere nunquam prodeunt, nunquam assequentes scopum, sensum Authoris *Latini, Galli, Angli, Hispani, Chinensis, Græci*, propter jejunum adeo respectu præmissorum Idioma Germanicum, non nisi per longas circumscriptiones explicare semet debens, pure modis infinitis utens, quomodo expectari potest genuina versio Materiæ Juridicæ Regni hujus, quæ tantos extraordinarios, propriosque sibi habet Terminos (prout *Philosophia, Ars Medica, Historia Naturalis*) quos nec Latinus optimus alias compræhendet, nisi talibus ab ineunte ætate imbuatur. Hungarus, et Croata non ut scientiarum quarumpiam jaciatur Fundamenta, per condiscendum Germanismum (cum hoc nunquam raræ alicujus eruditionis productum sit quidpiam, cujus Authores, etiam dum eruditi quid habent, plagarii tantum sunt) sed omnes etiam priores sepeliet.

Nec Gallica, nec ipsa vetus Lingua Teutonica moderno ufui cohærens est, imo difficilis intellectu ætati hodiernæ, ita recte occurrit circa priscum Stylum, Latinum, Legum, et Documentorum Hungariæ. Verfor antiquæ Latinitatis hujus gnarus quoque esse deberet Lingua *Gallicæ* prout et *Italicæ*, quia tam in Legibus Regni hujus, quam antiquis Familiarum Documentis semet efferunt, harum Linguarum Termini velut Gentibus his cum pristino Statu Hungariæ maximam necessitudinem foventibus, denique scire debet *Hungaricæ, Croaticæ, Illyricæ, Valachicæ, Rascianicæ, et Slavonicæ*, præterea Historiam Regni, Jura ejusdem, Judiciumque defecatum possidere. Si autem hæc, et antea in sinuata in cognitione habuerit, nec pro 3000 fl. Translatorem aget. Potest enim ipse in quocunque Dicastrio Nobilissimum, aptissimumque repræsentare Judicium.

Attentissima Majorum Nostrorum ad rem Justitiæ provisio, disposuit Sigis. Decr. 6. Art. 9. ad præcavendam omnem Fraudem tempore Executionis comitti queuntem, ut pro hoc Actu, non secus Statutionibus Bonorum, Vicini, et Cometanei (ac prout usus in Executionibus jam invaluit) Judex, Juratique Loci adhibeantur. Plebe in Pagis, Oppidis, ubivis Slava, vel Hungara, aut Croatica a potiori existente. Quales non confusiones, deceptiones sequi poterunt, si Exequens pro hoc casu Acta Germanica tulerit, talia ipse bene non intellexerit, consequenter nec explicare, nec semet dirigere sciverit, aut forte corruptus per Partem aliquam sinistre explanaverit, præsentem Testimonio totam rem non intellecturo. Si controversiæ de genuino Actorum processualium? Sententiæ Judicialiæ sensu, inter Triumphantem, Succumbentem, ac etiam Judicem enatæ fuerint? quis Judex horum erit? vel oppositiones hoc incidenti sequi debebunt, vel non forma Processum (multiplicando Litium Nro.) ex dubio intellectu Actorum Judicialium statuenda veniet, hæc dum in Hungaria nec audita. Experimentum tantum est occasione Numerisationis, et Dimensionis, dum Germanica manus operabatur in locis, Plebis pure Slavonica, vel Hungarica, qualis remora! Confusio versata sit. Dum pro Judæis ad vicina loca, sæpe majoris distantiæ mitti debuit, ut Interpretes agant, totius negotii.

Ingens Convulsio Causarum appellatarum prævidetur, plurimi enim Causantes, nanciscentur rationes appellatæ, pure ex mala versione Linguae *Latine, Hungarice, Slavonice &c.* in Legibus, aut Documentis contentæ, malo intellectu, aut inadæquata expressione Sententiæ! nemo enim volet ex incidenti hoc injuriam pati. Casus occurrent quotidiani, quod unum Judicium taliter, aliud vero

aliter assumpturum sit Germanicum intellectum rei *Latinæ, Hungariæ, aut Slavonicæ*. Lis ergo surget de sensu Vocabulorum, adhærente merito Justitiæ. Hæc ut tandem finem assequatur, producet ad extremum necessitas: distinctum adhuc aliquod creandi Tribunal *Vocabulorum Interpretatorium*. Cum aggravio ærarii publici. Remora Justitiæ, istud contigit crebro in moderno Latino Tractatu Jurium Hungariæ, ubi alias a Seculis asvetæ sunt mentes Linqvæ Latinæ, ubi hæc imperfecto Statu est apud Hungaros. Quomodo illud non accidat quotidie, in *subita Germanismi Introductione*.

Præcipitur indulgendo quasi in secundo Decreto: ut cuius Cauſantium, et Advocatorum liberum sit, Conceptum suum Latinum Germanicæ Versioni adnectere, quatenus per hoc obscuritas omnis et difficultas eatenus emergens superetur: sed hoc inefficax est medium tollendæ dispositionis. Recte enim illud adjunctum *Latinum, Hungaricum*: aut alterius Linqvæ Originale Versioni Germanicæ, Ansam dabit majorem Controversiæ. Uni in hunc, alteri in alium sensum jam Originale, jam Versionem trahenti, uni Versionem adprobanti, alteri hanc damnanti. Efficax nihilominus medium erit (quod aliunde, semperque situm est, etiam ab administratione ipsa Justitia in Regno hoc statuendi taciti Tributi) ad augmentum solutionum postalium, cum ordinatum sit: ut Cauſæ appellatæ omnes ad Forum superrevisorium, semper beneficio Cursus Publici per Judicia inferiora transmittantur, et vicissim per altiora remittantur, Cauſantes porro afflicti, Germanisnum hunc, onus expensarum, solvere teneantur.

In omni Arte perfectum Actum nemo statuere potest, neque ad producta Artis admittitur, nisi Magister sit. In administratione porro Justitiæ, per

quam Salus Reipublicæ comunis, Civium particularis consistit Beatitudo ! Judex, Advocatus, procedat ut Tyro, discere prius debens, laborare in verbis, non merito, majus fatigium, et moram experiatur, in transpositione, quam primo rei Conceptu, improbum laborem patiat. Ut propositum sibi per Causantem negotium intelligat, ut sensum opinionis suæ exprimere valeat, dum jam pro his paratum, et perfectum Instrumentum agere deberet.

Subditus erit *Hungarus, Slavus, vel Croata, &c.* Dominus Terrestris æque non sit Germanus. Si quidem moderni Comitatum (antea fixi Magistratuales ne vel Nomenclaturæ maneant officiorum in Regno hoc (æque non sint Germani, vel mali Germani) quid erit in casu hoc Justitiam anhelantis Subditi? Obligatio etiam imponetur misero Contribuenti, ut sibi Germanum Interpretem, qui rem ipsius proponat, assumat, vel onus injungatur Domino Terrestri, ut tam ex Parte sua, quam Subditorum suorum salarifatos teneat Translatores. Omne Dominium Terrestrale judicarium potius exuet Potestatem, quam propter vacuum, et summi oneris Authoritatem, et omnem, vel majorem saltem Partem consumat Proventus sui. Quis dein Justitiam administrabit Contribuenti, quis hujus aget Judicem? *Comitatus!* Si iste unicam hanc tot millenorum negotiorum manipulationem habuerit, non ut alia ulla tractare valeat, sed pro sola hac non sufficiet. Producet ad extremum necessitas millenos *Impostores*, vel inquam Interpretes pro Contribuentibus ex *Ærario Publico* tenendi. In uno nunc Comitatu etiam quatuor subalterna Judicia creandi. Cum aggravio Fundi Publici, ad hoc ut Jus Progressum habeat, et administretur. Idem fieri debet in Foris privilegiatorum Oppidorum, et Districtuum, quorum Magistratus pro primæ Instantiæ Ju-  
di-

dicio ultro stabiliuntur, Circulari quoad regulationem Tribunalium emanato Mandato de 12. Decembris 1785. Si ex Foris his infimis venerint Processus per Viam Appellatæ ad Sedriam Comitatus, et Fora superiora. Judices hic constitui Acta Causarum ejusmodi in Germanicum vertere debebunt? Labore hoc detinebuntur? Sepositis aliorum Processuum revisionibus.

Univerſæ Orbis Gentes, Jura, Justitiæque administrationem tractant vel Linqua Latina, vel Nativa Populi sui. Sola Hungaria! nec Latina (quæ quasi nativa est Genti) neque nationali ista manipulet, verum Germano Idiomate! quo nec Leges conditas habet, nec scientias ullas sibi comparavit, neque manipulationem ullam a prima Origine rerum suarum fovit! quomodo tali profunda Jura scrutabitur? summi momenti Justitiam tractabit, nisi hanc eliminatam habere velit.

Leges Hungariæ Latinæ sunt ideo: Ideo Latina Judicia. Quod adhuc *Atilla Rex Hunnorum* juxta Codicem Theodosianum (qui usui fuit eotum in toto Oriente, et Occidente Barbaris etiam Gentibus) Jus Populo dicere inchoaverit, tenendo sibi Scribas Latinos, tradente *Prisco Rhetore*, Reges autem omnes subsequi Hungariæ idem continuaverint, ac ex fonte *Pontificii*, ac *Cæsarei* Juribus depromptis passim Legibus procedura hæc jam Annis 1308. assidue observatur. Res tam vetusta, tantas agens radices in Usu, et Animis Populi non quadriennii, sed Seculi eget tempore, ut debite citra Confusionem, ac detrimentum omnium mutari valeat.

Ab Exordio Mundi omne Officium Justitiæ administratorium ubivis Terrarum se accomodat Idiomatici Legum suarum. Idiomatici Justitiam implorantium. Regnum Hungariæ solum extraordinariam hanc, et periculosam omnibus subeat distinctionem

contra usum Gentium, et proprium sui. Legibus Latinis, probis similibus, vel Nativa Lingua deductis. Allegata vero, et sententiæ ut Germanico provideant Stylo. Una res, aliam non intelligat, fallat, una confusio alteram excipiat.

Romani, Orbis Dictatores, quemcunque Populum sibi vel fœdere univerunt, vel Potentia subjecerunt, consvetudinarium Morem administrandæ Justitiæ. Legum municipalium, usum Gentis illius intacte reliquerunt. Imo si quid utilis, rationabilis, apud illas depræhensum est, Romam pro observatione transposuere. Ideo ad maximum elevati sunt fastigium sub Statu Senatus. Postquam hæc mutari cæpta sunt. Gentes pedentim sub Cæsaribus *Arcadio*, et *Honorio* a Romanis descivere.

Reges Hungariæ fuere jam ex *Italia*, *Polonia*, *Bohæmia*, et quam plurimi *Austriaci*, nunquam tamen ulli incidit, Lingua Natalium suorum introducere ad Regnum hoc, Methodum administrandæ Justitiæ. *Bela 3.* statuit Processum per supplices Libellos. *Uladislaus Rex Bohæmus* Collectionem fiendam omnium Jurium, ac consvetudinum in Regno, et Aula, quoad judicandas Causas observari solitarum injunxit *Steph. Verböczio*. *Matthias 2.* præcepit Methodum processualem, *Kittonicchio Advocato* elaborandam. *Carolus 6.* decrevit Comissionem Systematicam sub Comitibus 1715. Legum, et Judiciorum reformatariam. Defuncta *Dominæ Maria Theresia* præscripsit de Dato 26. Januarii 1769. Curie Regiæ: ut omnes, quæ hactenus intervenerunt Decisiones, seu præjudicia Curialia, cum principalibus suis Motivis colligantur, et in suas distribuantur Rubricas. Quæ facta sunt semper tamen Lingua Latina, quatenus ad morem, et usum Gentis jam receptum, adæqua-

quata, prompta, æomodaque Legibus, Indoli Populi, administretur Justitia.

Secuturo Hungariæ Principi, fundamento successionalis Articuli 2. 1723. ex *Italia, Gallia, vel Hispania*, potest vicissim exemplo mutationis hujus, non placere manipulatio rei justitiariæ *Germanica, Italica, Gallica, vel Hispanica* Lingua statui pro Idiomate Monarchiæ. Denuo res Justitiæ alterabitur, modus hanc administrandi, Legesque Hungariæ innovabuntur. Judices, ac Advocati Hungariæ deberent hac forma omnes Europæas Linguas condiscere pro omni eventu sortis suæ.

Genus humanum varias alioquin mutationum amans, per abolitionem frequentem Legum, et usus prioris discet novas non observare, et contemnere. Aperietur ad mala quæque hujus intellectus. Ideo Sapiencia *Solonis* statuit: *firmissimam esse Rempublicam illam, quæ malis licet, stabilibus tamen gubernatur Legibus.*

Judicia Hungarica exolvit præcium Salis, velut Regni Thesaurus. Solvit domestica hujus. Solvunt nunc præterea Taxæ scriptarum inductæ. Gravi est mærori Hungariæ, quod ne, instituto Nationali (quæ ipsa proprio nervo sustentat) in suam felicitatem, ac comodum propria Genti Lingua uti nequeat, Advocati Hungariæ, et Croatia, quod merentur, illud solvitur, ex Libero Regni Causantium Marsupio, nequeunt ergo vel ex hoc motivo, Leges, ac Consuetudines ipsorum lædere, præfufcipienda exotica, per Comitia Regni non introducta procedura. Cogi autem profus non potest Status Advocatialis, ad inasvetam, et impropriam agendi Normam, cum tali nec Ærarium Principis, nec Reipublicæ quidpiam præstet, sed pure solvatur privatis Regnicolarum Crumenis.

Pravideri quidem potest velut ex specula: quod si nullus Hungarorum, Croatarum, Judicem, Advocatumque agere voluerit, Germani sint mittendi, ad Regnum cum Legibus Germanicis, jam forte ad occipiendum hunc ingressum paratis. Causantes interim Regnicolæ, prius quam a Novis his, et invitis Judicibus suam sollicitent Justitiam, malent potius controversa Negotia universa per compromissa Judicum arbitratorum superare, quæ ut Contractus Jure Gentium liberi, nulli unquam impedi-ri possunt. Confidentia igitur Causantium erga Judices non existente (quæ summe necessaria est in Justitiæ administratione) otiosi manebunt, gratis, et charo prætio solvendi cum aggravio Ærarii. Neque hi Salarium modernorum Hungariæ Individuorum contentabuntur, tum quod mollius vivere asveverint, tum vero, quod nulla Bona in Regno habituri, socio alio subsidio non sint providendi. Advocati Hungari, et Croatæ substantias particulares a potiori habentes, agentiam Causarum assumunt crebro ideo, ut in hac palestra perfectionis, ad alia gerenda Regni Munia capaces efficiantur (prout etiam ex his, primis Regni Columnis sæpe gloriatur Hungaria) partim ut per cognitionem Jurium assequendum involuta Familiarum suarum per Antennatos Jura successive eruderare valeant, aut possessoria præhabita tueri, serviunt igitur penes occasionem hanc muneris, aliis etiam Regnicolis. Multis ex Amicitia conjunctione, vicina necessitudine, sperata ulteriori accomodatione sui, gratuito. Aliis erga renumerationem, exiguam, alioquin in Regno Hungariæ minimam, et nunquam a prima Origine defixam, et ideo Causantibus suis nunquam graves sunt. Si Extranei adhibiti fuerint, nullo præmissorum respectu existente, adeo Litigantes sub diversis Titulis gravabunt, quod substratum processuale si non superatura adæquatura certe sit exactio.

Exponitur in Mandato Novo Judiciario Ordini præfixo: *quod prima felicitas Populorum sibi divinitus conceditorum in eo posita sit, si iisdem deprompta, celerique Justitiæ Administratione prospiciatur.* — Qualiter Methodo hac (præter alias superius paragraphatim deductas reflexiones) felicitas Populi Hungariæ prompta, celerque Justitiæ administratio sperari potest Idiomate tali? quod nec Judici, nec Advocato, sed neque Causanti existit Familiare. Quo nunquam Negotia tractare asvevit, in quo adæquate condiscendo longissima ætate opus haberet, ut tali sciat vel Justitiam suam proponere. Ultro dicitur: *quod depræhensum sit, salutare licet Legum dispositiones sæpe facto Partium Advocatorum, Judicium in diversum a scopo illo, quo conditæ sunt, sensum trahi et ideo abusus diversos, effectum Justitiæ retardantes irrepisse.* Culpantur juste mala! per inductum autem *Novum Ordinem Judicarium*, ac inducendum *Germanismum* pluribus adhuc ejusmodi malis Ansa præbetur. Quis enim non prævideat fore, ut facto hoc etiam invehendi contrarii *Legibus, Documentis, Usui forensi, Loquendi, Negotia Regnicolarum, tractandi Idiomatis*, magis adhuc diversitas sensuum, inde confusiones, abusus adhuc sequantur.

Præscribitur in postremo de 19. Decemb. 1787. mandato, ut *Advocati illi, qui Lingue Germanicæ minus gnari sunt, neque a Mense Majo 1784. notitiam illius sibi compararunt privatos Translatores suis sumptibus assumant, majorisque securitatis causa Latinum suum conceptum Translationi Germanicæ ex adverso latere adnectant* præter id: quod congruos, perfectos Versores ad transpositionem rerum processualium Hungariæ reperibile impracticabile sit, ex multis antea remonstratis circumstantiis, Advocato hoc onere profus premi nequeunt, nisi facultates proprias ad id damnare velint. Causantes vero afflicti, graves

ves jam tollerant expensas in eo, quod pro Nro. Incattorum toties scripturas statuere cogantur, cum aliis copiosis materialibus Ceremoniis antea non existentibus. Quod Taxis continuis, gravibus expensis postalibus onerentur, quanto majoribus obruentur. Si nunc eadem Scripta etiam Germanice verfa præsentare debuerint, Advocatis ex incidenti hoc nihil per Judicium adjudicabitur, *non enim factæ Scripturæ, non Numerus Foliorum, neque Numerus Dierum in Labore exactorum, sed genuinum pure meritum rei æstimandum præscribitur §. 449. N. O. J.* nec eatenus Pars causa cadens, de justo, et æquo in expensis convinci potest.

Advocati porro jam nunc copiosissimis licet obruti scriptitationibus tantum defectum Juventutis pro his aplicandæ, praxisque condiscendæ gratia, patiuntur. Quod Scribas vel solvere, vel salarifatos habere necessitentur. Impossibile autem erit ipsis præterea tantos Versores tenere, unum qui ex *Latino in Germanicum* (quia plures forte Linquas non scit) alium, qui ex *Hungarico in Germanicum*, tertium ex *Croatico*, quartum ex *Slavonico* in idem Idioma scriptum transferat, et ultra hæc totidem Scribas solvere, ac intertenere. Ubi actu Scribæ præcipue Germani, vix alicubi depræhendi possunt, si quidem in Seculo hoc Chartaceo etiam illi, qui fuere ad diversas Partes administrationis politicæ desiderati habeantur. Et nec ibi sufficientes adhuc esse videantur, cum per publicas Ephemerides, promissis diurnis jam 2 fl. jam 1 fl. Den. 50. præcipue ad Operationes Dimensionales assidue provocentur. Post longiorem quidem ætatem producentur Scribæ Germani per introducta pure ideo Studia Scholarum Normalium, sed cujus eruditionis, qualium qualitatum, Reipublicæ Cives surrecturi sint, initia jam profectus testantur. Dum Professores ipsi plu-

ri-

rimi indisciplinati, pessimorum morum, Juventati præpositi sunt, cum suis Discipulis pro pecuniis ludunt, eosdem exfacant, in defectu pecuniarum prælucent ad contrahenda Debita, res, vestes vendendas, aut impignorandas, tales ducunt ipsi ad publicos Saltus, Theatra. Dum Parentes maximis nunc sumptibus educationem Sobolibus suis dare coacti, onera hæc præterea solvere coguntur, suppellectilem redimere. Amaris Singultibus, sanquinea Lachrymis, Proles suas vident a potiori ineruditas, licentiosæ vitæ deditas, nullius Religionis principia foventes, Lusibus, Saltibus, omni Mollitiei immerfas, in tenera ætate adhuc Lue venerea infectas, tandem indisciplinatas ad extremum e Scholis profugere. Ille fructus est inducendi per Studia Normalia Germanismi! huic inexplicabili Gentis malo, salutariter potius providendum esset!

Exponitur quoque in præattacto mandato: *sufficere in re Justitiali, si unice Translator Juramento taciturnitatis adstringatur.* Vinculum quidem hoc moderno rerum statu per invectam sentiendi libertatem jam effectum est minimæ considerationis, ac securitatis, ideo nullus plane Judicum, et Advocatorum, de Silentio præmendis Officii sui Arcanis stabilitatem sibi proponere potest, Mercenarius enim ejusmodi, spe præemii facile corumpi potest in eo: 1) ut pro scopo iniquitatis Partis adversæ rem quampiam in Germanicum transponat. 2) Judex, et Advocatus summæ attentionis Curatores esse debent Scriptorum fidei suæ, et officio per Causantes Concreditorum sub periculo Status sui, ac existimationis. Quid si talia fuerint tradita homini forte pessimi Characteris, sed malo necessario propter puram Germanicæ Linqæ Notitiam, et illa similia deperdiderit. Corruptus per aliquem vendiderit, supresserit, dilaceraverit, aut vitiaverit in Statu

originali, quod fieri potest per unam vacarificationem, cancellationem, alteratam interpunctionem scripti. Quid sequetur in casu hoc: quis respondebit?

Institutum est: ne materiarum referentes Judices sciantur per Causantes, ac Advocatos. Ne seu corumpi hic hac ratione valeant, seu odia, et vindictæ in Societate humana generentur, hac modalitate vero referabitur porta, medio mercenariorum ejusmodi, non solum quis Referens sit, verum etiam quale in specie votum dederit in negotio, qualis secuta sit Divisio, prævie rescindi. Mali proinde eventus, qui una præcluduntur, altera laxarentur via in merito Justitiæ.

Multis hic malorum generibus, præsentissima porrigetur occasio. Modo hoc Natio Hungarica, ejus Indoles tota succutietur, Decretum Juris, colore hoc, plene obliterandum, suapte evertendum quæritur. Porta Ottomanica duas fere tertias Regni Hungariæ Annis 140 possidens (prout Annales notant Domestici) nunquam tamen seu Nativam Populi hujus Linqum, seu Latinam velut eruditissimam, et quasi Nativam Gentis suppressit, imo Leges illius Latinas, modum relate ad has judicandi, intacta reliquit. Hungaros Judices ad id applicando, qui Causantibus juxta morem Gentis Jura dicant. Pacificationes etiam omnes cum Hungaria icta est Linqa Latina teste Decreto Juris. Statuta morum disciplinaria, Cultus Religionis per Bassas suos condidit in locis quibusdam, nativo quoque Genti Idiomate, reflectente ad hoc *Geographo Karabinsky*.

Methodum administrandæ Justitiæ sibi propriam relinquendam clamat Regnum totum. Vox Populi, vox Dei est, nihil salutaris in Mundo, quam factum tale, quod prodest omnibus, aut saltem

tem pluribus, 'prout in Regimine beatissimum est non cogi, ita miserimum, non foaderi, dicit Lipsius Politicus.

## P A R S 5<sup>ta</sup>.

Post hæc omnia exvendicata privata Legislatione præscripta, intervenit vicissim respectu Archivorum ex Locis suis fide dignis, ac publica Regni Lege constitutis Depositoriis, dispositio cum reiteratis adursionibus, ut hæc ad curam cuspiam Neocreatæ, Regno invisæ Tabulæ Provincialis Budam transponantur.

### *Cujus Forma est sequens :*

Sacræ Cæsareo, et Regio Apostolicæ Majestatis Nomine benigne intimandum, eandem suam Majestatem Sacratissimam in sequelam prioris altissimæ Resolutionis in eo emanatæ: ut universa in Capitulis, et Locis credibilibus existentia Acta ad Liberam hanc Regiam, ac Metropolitanam Civitatem Budensem, ad destinatum hunc in finem, et usui huic accomodandum reductorum Franciscanorum Templum reponenda adferantur, ultro Clementer demandare, ut Translatio hæc ea ratione curetur, quo universa hæc Acta cum fine Mensis Octobris Anni labentis hic præsto sint. In nexu porro hujus benigne præcipere: ne Capitula, et Loca credibilia, quæ Registrationem Archivorum suorum necdum perfecissent, cum novorum Elenchorum confectione semet occupent, sed veteres solum cum Actis, an quippe omnia adsint, comportent. Ubi vero Elenchi, quod non superatur, nulli plane adessent, tales mox conficiantur, negotium tamen ea ratione acceleretur,  
ut

ut actis omnibus futuro Mense Octobri Budam transpositis opus cum 1. Novembris Anni currentis initium suum isthic inomisse summere possit. Illa denique Loca credibilia, in quæ culpæ cujuspiam, aut negligentæ nota reciderit, ad id, ut Registratores acta eorum isthic Budæ in ordinem redacturos suis sumptibus constituent, adstringenda venire.

Quam altissimam Resolutionem &c. Datum Budæ die 28. Februarii 1789. Comes Antonius Jankovics m. p. Ad Benignum Sacræ Cæsareæ, Regio Apostolicæ Majestatis Mandatum. Bernardus de Ürmény m. p. Adamus Skerlecz m. p.

Num hæc justa, rationabilis sit vel prætenfio, ex subnexis judicetur reflexionibus.

Loca credibilia Regni Hungariæ, prout sunt Capitula, Conventus diversi, sunt ordinata per Leges publicas, pro Conservatoriis Authenticis Literarum Regnicolarium, taliumque Depositoriis, ea ex ratione: quod cum Gens Hungara continuis Bellis externis, ac internis etiam, irretita fuerit, militare consequenter assidue debenti, nec vacaverit, nec sæpe integrum fuerit, curam, custodiamque adæquatam Literarum suarum habere. Secutum vero non viderit Regnum, ut has, Vicinus Vicino sibi æquali, vel in Juribus quærendis Æmulo, aut Regi, vel Fisco ipsius, multis ex rationibus, pro conservatione interinali tradat. Sed Statui suo Sacerdotali plurimum fidens tum ex respectu Religionis, quam disinteressentiæ, constituit Archiva similium, apud probatæ sibi fidei Capitula, et Conventus. Testantibus id Ludovici 1. Decr. Art. 21. Sigismun. Decr. 6. 10. Math. Decr. 6. 75. Ulad. Decr. 1. 95. 97. Par. 2æ. 13. 15. 16. 1550. 63. 1723. 43. 1741. 39. 43. et 1764. 11.

Quo titulo, fideique publicæ salvatela, Loca hæc, Archiva sibi per Populum Hungariæ, Legem ejus concedita a se dimittere possent, cum res nec sint ipsorum, sed propriæ Regnicolarum, qui factò huic non ut annuum præbeant, verum inhibitionibus publicis occasione Congregationum factis, resensum acrem testantur.

Literæ Regnicolares sunt Depositum, Loca vero hæc credibilia, Depositorii, Lege publica, fideque jurata constituti contra Jus comune Gentium, Factorum præcipue Juramento vestitorum observamen sancte exigens; Juris Civilis principia esset: ut Depositarius adversus mentem, scopum Deponentis, rem curæ, fideique suæ relictam, alteri, quam proprietario tradat; ad alium, quam defixus sit, locum transponat. Sanctio ipsa moderna Criminalis neo constituta §. 157. dicat: *Quatenus Depositarius, rem alienam in suam assumens custodiam, talem Domino aut prorsus non, aut non integre restituens, velut furti Reus condemnetur.* — Quomodo hæc cum lata quidem privative, sed propria Lege conveniunt!

Capitula, et Conventus penes curam hanc Literarum Regnicolarium, habent ex superius tactis Legibus delatam sibi activitatem, Literas Inquisitorias, Reambulatorias metarum instituendi. Satisfactiones Donationum peragendi. Sublatis per receptionem Archivorum Locis credibilibus, consequenter cessaturis individuis, quis functionum harum juridico Regnicolarium mensuram implebit? non factis quoad alia pro hoc munere Individua dispositionibus per Leges Regni, fata hæc Hungariæ nec præsupponentibus unquam —

Postquam semel modernis Stationibus suis Archiva mota fuerint, quo Jure ac factò illud modo effectuatam fuerit, illo potest iterum subsequere

evenire, ac etiam subinde extra Regnum plane efferenda disponi. Quales funesti eventus Familiarum Hungaricarum inde expectandi sint, ex specula nunc conjici possunt.

Periculum imminet in ipsa Actorum transpositione, sperari enim nequit ita accurata, ut aut nihil omnino intercitat, aut commixtione aliquid haud confundatur; pressiori manuum, curruum vecturorum usu abradatur, laceretur, a residuo suo Corpore pars Documenti edaci rerum tempore consumpti, avellatur. Quæ confusio, jactura Familiæ, quam scriptum concernuerit? Quis pro facto respondebit.

Aliud imminet periculum ex ipsa eorundem Documentorum in unum congerenda multitudine, multiplici Idiomatum Styli, Characterum pro ratione Seculi diversitate, legendi, intelligendi, transumendi, comportandi, manipulandi difficultate. Ad neerectam Tabulam Provinciale[m] constituti sunt omnes novi, peregrini homines. Ad inculpate tractandam rem tanti momenti, tantæ molis ad unum Locum, congerendæ! neque usu; neque scientia habiles. Aliud est nunc in Locis credibilibus. Quia et subjecta idonea pro manipulatione hac Actorum leguntur, et quia minor singulo loco, pauciora curandi, ac tractandi surgit obligatio.

Quo magis verum erit de novis his subjectis Tabulæ Provincialis, qui tantæ Actorum vastitati curandæ, citra ullam præviam notitiam, et manu-ductionem admoventur, prævia statuere. Eo facilius supponendum: ut Expeditionum Cursus, et conjuncta cum hoc Regnicolarium negotiorum promotio, vel multis Annis adhæreat, vel profus inacurate administretur. Atque hac una, vel alia ratione intra quadriennium de dato 2. Aprilis 1787. prædocenda Jurium proprietate præscriptum, simpliciter

ter impleri nequeat obligatio. Nunc per dispositionem hanc inopinam transferendorum Budam Actorum, confusa Loca credibilia quæpiam, et Literas inconsulte componentia pro transpositione, Expeditiones ad postulatum Causantium longiori jam tempore nullas faciunt. Lites adhærere debent, graves emergunt confusiones. Quid sequetur ultro! si Acta Budam devenirent! Donec talia revideantur, sua forma recipiantur; ad ordinem redigantur. Causæ centenæ (horum quotidianam necessitatem habentes) in Cursu suo adhærebunt. Quomodo ista congruunt cum defixa omnibus principiis Justitiæ processualis acceleratione? Hoc est una via, hujus administrationem præcipere, alia vero talem sponte, aut irreflexe ad priores ordinationes impedire.

In moderno tentato Systemate, unicus erit locus credibilis, Buda. Ad hunc proinde omnibus Regnicolis, ex universis Partibus Regni pro Actorum expeditione confluere oportebit. Et quidem multis ex Longinquo, imo extremis Hungariæ finibus, insuper ad Locum, nec omnibus, neque quavis Anni parte accessibilem. Cis-Danubianis quidem Regnicolis Danubio separatis, Trans-Tibiscanis, et Tibisco, et Danubio divisis. Non sine obice, periculo Hyemalis præcipue temporis, fatigio, notabili sumptu, longiori mora, rei domesticæ diuturno neglectu, manifesta Causarum, Justitiæ remora, factum procedet. Et si Statum pro edocenda proprietate Jurium singuli, stare deberet quadriennii tempus, cum plurimarum Familiarum insanabili jactura, per Terminum præclusi infligenda.

Loca moderna credibilia habent Sigilla publicæ Fidedignitatis, attributam sibi Authentiam, honorem muneris hujus publici per Jura Provincialia. Talibus privari nequeunt citra Comitiam Regni, citra omne demeritum, neque secus, nisi pro casu

commissi fide fragii. 2æ Titulo 16. Ulad. Decr. 1. 43. Decr. 2. 23. Decr. 3. 14. 1486. 10. Sigis. Decr. 6. Art. 8.

Literæ Jura Regnicolarum concernentes, in Camera, ac Fisci conservatione hærentes disponuntur potius Dominis ipsorum legitimis reddendæ Articulo 38. 1681. 12. 1774. vel ad Archivum Regni reponendæ 13. 1729. Non ut Literæ Regnicolarum ex suis debitis Locis, per Statum publicum constitutis, ad Locum quempiam Provincialis Tabulæ Regno ignotum — invisum — metuendum per Fiscum, Camera, Subjecta quæpiam forte nec Hungarica, nec Nobilia, aut ipsum Regnantem, pro arbitrio successive disponendum, tractandum, deponantur.

Securiora sunt semper Loca plura conservandi Thesauri, qui maximus consistit in Literis Regnicolarum, quam pure unus! tum propter emergibile incendii fatum, quod omnia ad semel in cineres vertere potest. Cum vero periculum hostilis incurfus, quo vicissim universa uno ictu perire queunt. Regnum hoc Loca credibilia exhabita jam Discriminum complurium experientia, a potiori diffita constituit a Limitibus Portæ Ottomanicæ, Gentis Literarum, Scriptorum inimicissimæ. Ideo etiam Capitulum Strigoniense Tyrnaviam semet translocare debuit 36. 1638. Nunc autem recte fervente Bello Turcico, contra omnia providæ Cautionis principia ad fauces hostis illius, Budam, omnes Literæ, e securissimis alias Regni Locis, deferri disponuntur.

Multa sunt in Locis credibilibus Documenta similia meliorum, vetustiorumque præcipue Regni Familiarum, quæ partim contra Fiscum Regium, Privatis Regnicolis, Lumen, prætensionumque momenta exhibent; partim talia, quæ non exstante quo-

quoque Decreto Juris, Statum antecedaneorum temporum, ac formam Regiminis Hungariæ, clare testantur. Hæc si ad Locum Provincialis alicujus Tabulæ devenirent, possent vel per Fiscum, aut constitutos ejus, recipi, perenne suprimi, vel sponte procurato Incendio Domus, in flammam mitti, ut cum Juribus privatorum, pereat etiam una omne Testimonium Imaginis, Guberniique Hungariæ, quod forte ex professo, velut Decreti Juris Hungarici, per introducendam Germanicam Juridicorum Manipulationem, excidium, quæritur: ut vicissim Privilegia, Juraque Populi Diplomatica per Ignem pereant. Quod Nero successa in quatuor Partibus Urbe Roma producere voluit — Si autem hæc non essent quoque metuenda!

Posset ad minus illud sequi malum Regnicolarum. Quod si desiderarentur subinde per Patriotas Literæ, juxta consuetum jam, et iniquissimum Cameralis Archivi agendi modum, extradarentur quidem in Transumptis, verum penes exigendas prævie Reversales, de nunquam agendo ex his adversus Fiscum, vel ejus Evincendos. Perimerentur ergo plene forma hac subtili, omnia Jura Familiarum a Fisco multas, ac in Cælum clamantes injurias tolerantium. Posset inquam illud quoque sequi: ut deductis semel Budam Archivis Regni, Taxa quæpiam gravis expeditionum, pro requirentibus has statuatur, contra Leges, et morem solitum Provinciæ, cum cæteroquin cuncta saltem eo concentrari videantur, quatenus Hungariæ Nobiles, parte ex omni emungantur, ad Tributariam deducantur conditionem. Modus ergo vel impracticabilis surget obtinendarum quarumpiam Literarum, sortis præcipue tenuioris Familiis, in Statu Orphanali, Viduali, relictis personis.


---

Præusquam Literas Regni Familiarum, Loca credibilia suæ fidei, conservaturæ, commissa extradet, potius Jure omni, obligatione Depositi, tenentur Regnicolis illis reddere, ac extradare, quorum Res, Jura, Personas concernerent, juxta præscriptum cæteroque Articuli 45. 1723. et hunc confirmantis 13. 1729. Item 12. 1764. Cum:

Grave secus aliquando coram Regno toto respondendi onus Loca credibilia manere possit; Juste præmetuendi, ac memorabilis forte Excidii poena expiandum, propter læsas Regni Constitutiones, violatam fidem assumpti muneris; contra Statum Regni publicum agendo. Ulad. Decr. 6. Art. 8.


Plura, qui scire volet, nunc abeuntem, vel impiger sequatur Comes, vel expectet redeuntem —

---




✓ Cullay  
8000 —

2012









1  
Felt  
Chelmsford